GROTIUS (Hugo) EPIGRAMMATA (2193 vers)

Le texte qui a servi de base à cette édition est celui des *Poemata omnia*, publié à Amsterdam, en 1639, chez Johannes Ravesteynium.

# EPIGRAMMATUM LIBER I.

## IN IMAGINEM PRINCIPIS HENRICI NASSAVII.

E1_01
Nassavium specta juvenem, quem longa vetustas
   majorum sanctis donat imaginibus ;
nam quid Nassaviis spectat Germania majus,
   aut Coligniacis Gallia nobilius ?
Gallia maternum, patrium Germania prisca
   suppeditat clarum nobilitate genus.
Belgica, quae media est, juvenem miratur, avitis
   laudibus heroum degenerare nihil.
Sic aetatis adhuc in limine puberis audet
   pro patria Fratrem relligione sequi.
Qui videt Henricum, sub imagine frontis eadem
   maternum magno cum patre cernit avum.

## IN IMAGINES EQUESTRES.

E1_02
Cornipedem ut brevibus deceat compescere habenis,
   spumanti aut frenum laxius ore dare,
et modo per campum curvo contendere gyro,
   et modo directis leniter ire viis :
quis gladiis usus, qua lancea parte minetur,
   vulnera quae subito destinet igne globus,
Geinius haec pariter, quam Mavors ferreus ipse,
   dicet in aere tibi tutius, et melius.

## IN IMAGINEM HAGAE.

E1_03
Haga ego, (fama tuas etenim mea contigit aures)
   qua non est toto laetior orbe locus ;
me sacra prudentum celebrant suffragia Patrum,

Hesperias toties fortiter ulta minas,
me lites dubiae, venerandaque jura Senatus,
me gemini celebrat causidicina fori.
Mauritiique Ducis sedes, cui machina mundi
ad famam sedes non satis ampla patet.
Omnia quae, ne me corrumpant fata, merentur
novissent meritum si tamen illa sequi !
Nunc ego contemptrix superantis cetera fati,
Geiniaca vivo perpetuata manu.

IN IMAGINEM VANITATIS.

E1_04 O hominum amentes mentes, nec inanium inanes,
quae, miseri misere dum pereunt, pereunt.

IN IMAGINEM EQUI CAPTI IN PRAELIO AD NEOPORTAM.

E1_05 Pars ego Flandriaci non contemnenda triumphi,
praeda fui, fierem ne fugientis equus.

IN EANDEM NUMERALE.

E1_06 Hunc dedit Austriaco tellus Hispana creatrix,
victorique dedit Flandria Mauritio.

IN ORATIONEM NICOLAI KINSCHOTII.

E1_07 Cara bono soboles non infitianda parenti,
ingenio certum testificata Patrem,
quid tibi dicemus, duo qui miracula jungis,
singula quae possent exsuperare fidem ?
Dicis enim primo sub limine puberis aevi,
quae poterant ipsos condecorare senes.
Talis erat Cicero, tua nunc juvenilibus annis
quem nocturna terit, quemque diurna manus ;
qui conjuncta togae Demosthenis arma virili
cum caperet, primo tempore magnus erat.
Sed non Mauritii laudes aetate sub ista
dixerat. Haec uni gloria parte tibi est.
Mira quidem res est Naturae vincere leges :
plus tantum merita laude beare ducem.
Quis non attonitus legat haec, stupeatque revolvens,
tam bene, tam juvenem, dicere tam gravia ?
Nam nec quid melius potuisset Principe dici,
nec melius quisquam dicere Kinschotio.

AD PRAESIDEM VEENHUSIUM.

E1_08 Pulpita, Veenhusi, tragico quassata cothurno ?
Pluraque, quae tenuis sacra papyrus habet,
accipe, et heu meritos restantia Carmina luctus,

conjugii cineres qua sacrat ara tui.
Ne facies oculos turbaret prima legentes
hanc habet extremo pagina maesta loco.

## AD PALUDANUM DE EJUS ADMIRANDIS.

E1_09 Thesaurus Orbis, totius compendium,
arca universi, sacra Naturae penus,
templumque Mundi, Panos hic sacrarium est,
caeli quod instar unico penetralium
claudit recessu quicquid aer parturit,
edaxque flamma nutrit, aut fecundior
vis circulantis obstetricatur sali,
puerperaeque fertilis Terrae labos.
Verum fatebor, o Paludane, Isidos
magnae sacerdos, magne mysta, singulis
mens victa hebescit ; quod simul miracula
sunt cuncta, cunctis majus hoc miraculum est.

## IN IMAGINEM GORLAEI.

E1_010 Gorlaeus hic est aere sculptus, aes cui,
argentum et aurum, Roma quod vel Graecia
signavit umquam, gemmaque, et carus lapis
olim vetustis destinatus annulis,
perennitatis gratiam debent suae.
Nunc experitur. An metalla a saeculis
qui vindicata tempori nostro dedit,
ipsum futuris dent metalla saeculis.

## AD MYLANDRUM. PRO TRAGOEDIA.

E1_011 Inclyte, quo sese domino Poderoja, Mylander,
jactat, et Arquilios vix purat esse pares :
conscius arcani dum tu, sociusque laborum,
non tremis invicti Principis arma sequi ;
nos tragico nova cura pedes vincire cothurno
cepit, et o utinam syrmate digna loqui.
Adami scelus infelix, epulasque rebelles,
exsiliumque sacris scripsimus hausta libris.
Haec Grotii cape dona precor : sed fronte serena,
qualia magnanimi sunt ducis ora tibi.

## IN ADVENTUM NICOLAI KINSCHOTII.

E1_012 Inter conspicuos, Kinschoti, prime sodales
gratulor ad patrium te rediisse larem.
Gratulor incolumem quod te Germania misit,
et Batavo Rheni reddidit unda solo.
Est tamen, est unus super hic dolor : integra carpi
gaudia fatorum turbidus ordo vetat.
Nam prius amissa (tulerant sic vota sororum)

matre, peregrino tristis ab orbe redis.
Sed, reor, aut ratio vitae morumque magistra,
aut potuit luctum vincere longa dies.
Dicis et ipse tibi : "Jam me praesente peribat,
cumque mori dicta est, desiit illa mori."

## DE EPISTOLA SCRIPTA JACOBAE NOMINE.

E1_013 Litera Durdrechtum dominae perarata Iacobae
venerat ; hanc patruo scripserat illa suo.
Quam cito perlatum Durdrechti a moenibus Hagam
responsum patrui triste Jacoba legit.
Illas Nordovicum moderatrix dextra tabellas
scripserat : hae Grotii sunt juvenantis opus.
Has excusari satis est ex tempore lusas ;
illas ingenii tollit, et artis honos.
Nasonique suo non par satis iste Sabinus :
at quis se Dousae postulet esse parem ?

## AD HEINSIUM.

E1_014 Gordunis lux magna tuis, o carmine posthac,
te quoque cum superes, non habiture parem,
Heinsiade, quem Syrma decet, quem juncta cothurno
sceptra poetarum principe sumpta manu :
legimus Auriacum, libertatemque Batavam,
hic ubi Mauritiam saucia poscit opem ;
legimus et Mores, et amicum munus Iambos,
hic ubi nulla mea pagina laude vacat.
Gratia magna tibi est. Alienae munere famae
lectorisque tui credulitate fruar.
Scilicet esse aliquid Grotium peregrina putabit
turba, nec ignoto jam licet esse mihi.
Sed qui tanta meae leget hic praeconia Musae,
quam vereor, Musam ne legat ille meam.

## IN ALBO HEREMITII.

E1_015 Accipe, Heremiti, deductum carmen ab illo,
partem aliquam libri quem cupis esse tui.
Carmine cum foedus nobis sociale jugetur ;
certius haud potuit pignus habere fides.
Affectu pariles sumus : at tu carmine major,
et meus hoc ipso plus tibi debet amor.

## DE OFFICIO ADVOCATI.

E1_016 Qui sancta sumis arma civilis togae,
cui se reorum capita, fortunae, decus
tutanda credunt, nomini praesta fidem
juris sacerdos, ipse dic causam tibi,
litemque durus arbiter praejudica.

Voto clientum jura metiri time
nec quod colorem patitur, id justum puta.
Peccet necesse est saepe, qui numquam negat.

### EPITAPHIUM UXORIS MARTINI.

E1_017 Martinio conjunx Veenhusia nupta marito,
praeside germano nobilitata soror,
heu nimium seros Lucinae passa dolores
non potui decimam condere olympiadem.
Haec tamen in tumulum mecum solacia porto,
quod potui summum mater obire diem.
Claudere quae partus aliis solet, inchoat aetas,
atque eadem vitam claudit iniqua mihi.
Parcite tam longum thalamos differre puellae,
ventilet infelix ne Libitina faces.
Morte dedi vitam, natales funere constant :
virque meus tanti non putat esse patrem.

### AD RUDOLPHUM IMP. FLORUM PICTURAE DEDICATIO.

E1_018 Non tibi Mars tantum favet, invictissime ductor,
quem toties hostem barbara signa tremunt.
Plebs quoque te Superum donis veneratur, et illud
a Zephyri munus conjuge, Caesar, habes.
Ver dea perpetuum Batavo praescripsit Apelli,
prataque pictrici vivere jussa manu.
Annuus Alcinoi decor est, et Adonidos hortis,
nec Pharias animat longior aura rosas.
Prisca Semiramios jactat Pomona labores ;
alta tamen tecti culmina scandit hiems.
Quo tibi fluxus honos ? Augustum serta triumphum
in quae temporibus nil licet, ista decent.

### AD JOHANNEM OLDENBARNEVELDIUM, HOLLANDIAE ADVOCATUM.

E1_019 Neptuno veterum commisit fama Minervam :
lis erat Actaei de dicione soli.
Rex maris indoluit, quod equus cessisset olivae,
versaque in exitium judicis ira fuit.
Consiliis victus damnat Deus Atthida laevis
quid faciat Pallas ? Sunt rata facta Deum.
Succurrit tamen illa malo, jussitque beatos
eventus stulte quamlibet orsa sequi.
Non ita res Batavum sub te viget, optime rector,
successus felix jura nec error habet.
At tua fortunam nobis sapientia donat,
certaque ab eventu scita probare licet.
In te caelicolas compromisisse videmus.
Qui rixae fieres arbiter, unus eras.
Pro Batavis patruo certat Tritonia regnis ;
nec quadrupes pretium litis, et arbor, erant.
Dotabat Batavas dominus Maris, aequore toto,

consiliis Pallas, belligeraque manu.
Inde tridens, hinc aegis erat. Sententia fertur
non Paridos qualis Tiresiaeve fuit.
Aequavit censura Deos tua, prime Batavum.
Hinc patriae utilitas, hinc tibi partus honos.
Nos quoque sancta tuae colimus qui castra Minervae
te duce, tutelae pars aliquanta sumus.
Accipe devotum tibi pectus, et accipe Musas.
Has etiam comites Pallas habere solet.

## AD CORNELIUM MYLIUM, DE EPITHALAMIO.

E1_020 Sponse (tuae quid enim referam praeconia laudis ?
Hoc potius nomen postulat ista dies),
sponse, diem canit ista tuae non conscia noctis
pagina : nos thalami sistimur ante fores.
Sacra profanamus nec Cypridos orgia verbis ;
illa tibi et dominae mox celebranda tuae.
Non mea defensum tenebris, tacitoque cubilis
limine secretum Musa, movebit opus.
Quae claudenda putas, ego nec dicenda putavi.
Haec dominae possunt absque rubore legi.
Parcere virgineo virgo studet ipsa pudori,
abstinet et solitis nostra Thalia jocis.
Gens rudis, ac auris castae damnata Batavi
non satis audemus verba Latina loqui.
Scripta verecundo donamus seria cultu :
missa tibi, socero denique missa tuo.
Fescennina procul discede licentia linguae :
hic teneram frontem semper habere decet.

## AD MONAVIUM, DE EIUS SCITO, IPSE FACIET.

E1_021 Ipse, soles, faciet, studiis, exculte Monavi,
dicere : quid signet vox, precor, ista, refer.
An mihi Pythagorae repetis commenta renati,
et te discipulum secta Crotonis habet :
jussa quibus longi finire silentia lustri,
hae solitae voces, Ipse ait, Ipse negat ?
Non reor, et nulli te juravisse magistro,
servitii impatiens mens animosa docet.
Deinde quid est "Faciet" ? Nam si facere hoc facis esse
consilio ad finem ducere quaeque suum,
ipsene adhuc faciet ? Cujus prudentia major
quam tua ? Quem pluris Principis aula facit ?
Si facere est aliquid venturis tradere saeclis,
et dare quod cupiat postuma fama sequi,
quis potuit melius de posteritate mereri,
si dignam credas quae tua scripta legat ?
Si facere appellat victuros condere versus
Graecia, tu dici jure poeta potes.
Si facere est, sacra ferre Deo, ritusque probatos,
gratius est ulli nil pietate tua.
Ergo quid est illud ? Fieri quodcumque vocatur ?

22 Respice, quando, precor, fiet, et Ipse quis est ?
23 Nemo umquam faciet, quod tu facis ipse, Monavi ;
24 ipse, quid est, faciet, dicere ? Tute facis.

## EPITAPHIUM JOHANNIS LUNGHII.

E1_022 v.1 Johannes situs hic properata Lunghius umbra,
2 magnanimi Cimbrum sanguinis ille genus :
3 tota cui lustris non addita quattuor aestas.
4 Quid tibi cum tanta Mars erat invidia ?
5 Ostendae fraterna ferens heu signa superstes
6 cruribus amissis non fuit ipse diu.
7 Vulnere sed misso periit, non cominus armis,
8 et pro quo jacuit nunc jacet ecce solo.

## AD JANUM GROTENHUSIUM.

E1_023 v.1 Ergone adhuc trepidus tantum, numquamne calesces,
2 teque levi semper vulnere stringet Amor ?
3 Omnia qui laedit, cur in te deficit arcus,
4 cur pharetrae vires non habuere suas ?
5 Tu cui formosas fas sit mutare puellas,
6 et transferre faces pectoris, unus eris ?
7 Securus poteris tu cernere, Jane, quod optas,
8 nec tanget loro de Cytherea suo ?
9 Migret ad Astraeam potius vel Pallada caestus,
10 quae Veneri elapsum sub sua jura tenent.
11 Transfuga castrorum, nec nomine dignus amantis,
12 cur tibi jus tanti dicere posse fuit ?
13 Scilicet ut, lassum cum te tua rostra remittunt,
14 turbaret somnos nulla puella tuos.
15 Privato, satis est, viduos donavimus annos.
16 Hactenus indultum, dum tibi salva quies.
17 Quae nunc est ratio, qua possis lente tueri,
18 quod toties audes perdere, quicquid amas ?
19 Odisti curas ? Domus est minor urbe tuenda.
20 Esse cupis liber ? Jam famulare foro.
21 Quantillum fuerat partiri aequaliter horas ?
22 Quaeque die pateris jurgia, nocte pati ?

## DE MELETEMATIS BARLICOMII.

E1_024 v.1 Salve pietas, sacraque Musa Barlicomi,
2 salve meritis incluta, (nam decus benignum
3 praesens tibi dat gloria, non in antecessum,
4 sed continuans praemia saeculo sequenti.)
5 Te non Helicon edidit, aut gemella rupes,
6 et si quid adhuc fabula dat vetus poetis ;
7 sed caelifero vertice mons sacer Sionis.
8 Non Pegaseis labra rigas canora rivis,
9 sed poscis aquae munera fonte de perenni,
10 unde aetherio pectora perluuntur imbri,
11 pignusque poli mens bibit entheos furores.

Si Relligio maxima, magna laus poetae,
quid majus erit dicere vate Christiano ?
Nam res, pietas quaslibet erudita vincit :
res nulla pia rarior eruditione est.

## ERUDITA IGNORANTIA.

E1_025 Qui cutiosus postulat totum suae
patere menti, ferre qui non sufficit
mediocritatis conscientiam suae,
judex iniquus, aestimator est malus
suique naturaeque : nam rerum parens,
libanda tantum quae venit mortalibus,
nos scire pauca, multa mirari jubet.
Hic primus error auctor est pejoribus.
Nam qui fateri nil potest incognitum,
falso necesse est placet ignorantiam.
Umbrasque inanes captet inter nubila
imaginosae adulter Ixion deae.
Magis quiescet animus, errabit minus,
contentus eruditione parabili,
nec quaeret illam, siqua quaerentem fugit.
Nescite quaedam, magna pars sapientiae est.

## IN LIBRUM SUUM DE MORIBUS ATHENIENSIUM, ROMANORUM, BATAVORUM.

E1_026 Martia gens semper Batavum, nec inhospita Musis,
   et cui compertum nil prius esse fide,
scribimus hic mores, quibus ipsas vincis Athenas,
   et tibi se cupiat Dardana Roma parem.
Vos, urbis dominae socios fratresque Quiritum
   et libertati pectora sacra colo ;
frenator pelagi populus, spes una Philippi
   et metus, Europae lumen, et orbis amor,
ultima Taprobane quem jam veneratur, et Indi,
   cui socias regum dextera nectit opes.
Sacra tibi genioque tuo, gentique Batavum,
   haec fero : tu felix ad mea vota veni.
Siquid id est, Batavi Batavo celebrantur honores,
   et sum materiae pars quotacumque meae.
Civilem Batavi vestrumque legetis Erasmum :
   vester hic ingenio maximus, ille manu ;
atque alios quibus aut victorum praemia laurus,
   aut hederae rutilas implicuere comas.
Patria, da veniam, quod non numeramur in illis,
   qui poterunt nomen ferre sub astra tuum.
Mars mihi displicuit ; Musae placuere, sibique
   hoc levis angustum gloria fecit iter.
Est tamen, est aliquid fungi bene munere civis,
   quaque datur patriae nolle deesse suae.
Testor Arausiadae cineres natique labores,
   qui tumidas Mosae jam tibi subdit aquas,
quod potui fecisse solique altricis honorem
   officio numquam destituisse meo.

Non ego doctrinae, non duro Marte probati
roboris exemplum, sed pietatis ero.

IN PETRI BORRII LIBROS DE PRIMIS BELGARUM MOTIBUS.

E1_027 Quod regni mala quaesiit cupido
inventum populi furore bellum,
quo tandem supera benignitate,
spem vulgi super et metum Tyranni
Libertas mediis refulsit armis,
seros non patitur latere Belgas
fida Borriacus labor papyro,
in causas referens, ducesque primos,
Martem perpetuo cruore nondum
post septem mala lustra judicatum.
Reges, discite parcius jubere,
et plebs regna pati. Novare constat
successu dubio ; pati periclo,
cum jus imperii, licentiaeve,
civili veniunt emenda ferro.

DE ITINERE SUO PER RES PROLATAS.

E1_028 Dum jura multum litigata dimittit
periculoso Sirius flagrans caelo,
libet occupare per brevem fori pacem,
libet mihi donare desides horas :
in quas nec ullae jus habent clientelae,
nec impiger consultor antelucanus
sed Haga molles semper obsidet somnos,
notasque prohibet exui locus curas.
Regis Guilelmi, carcer advocatorum,
valete turres ; arbores Jacobaeae,
inutilesque tot negotiosorum
umbrae valete, sub quibus calent omnes.
Valete et Aulae, Curiaeque discursus,
et ambulanti semper obvium murmur,
valete : paucos, sed meos dies quaero.

AD DANIELEM HEINSIUM, CUM ADAMUM EXULEM, SUAM, EI OFFERRET.

E1_029 Heinsi vetustae restitutor orchestrae,
ornas cothurno qui pedes Sophocleo,
Euripideum syrma qui tuo vincis,
et Aeschyleas et Lycophronis faeces,
et quicquid umquam perditum tragoedorum,
desideratumque hactenus repensasti ;
sume hoc amici, (nomen hoc inaequales
si non recusat) sin minus, tui saltem
poema, in arram quam sacrae clientelae
postremus offert principi poetarum :
lecturus illud, ut beatus exsultes,
cum nos videbis velle, posse te solum.

## IN MEDITATIONES SACRAS JOHANNIS MEURSII.

E1_030
Dum veterum ingeniis doctos instaurat honores,
obligat et toties saecula prisca sibi ;
hinc animo Cirrham dum provocat, inde Lycaeum
Meursius, ulterius jam videt esse nihil.
Destituit noti juvenem via tota laboris.
Quid faciat ? Caelo cura petetur, ait.
Ergo sacros aperit sublimi pectore motus,
ipsa per Isaiden dum juvat astra sequi.
Cernimus (en pietas) meditata prioribus annis,
qualia vix canis otia sera ferunt.
Magne Deus, vitae peragit cui pensa juventus,
nescio quid faciet, sit tamen oro senex.

## IN LIBRUM JOHANNIS MEURSII DE FUNERE ET PUERPERIO.

E1_031
Una papyrus habet supremaque primaque rerum,
   naturae fines continet iste labor.
Lucinae pia sacra docet tibi nata recenter
   pagina ; non fetus dulcior ille fuit.
Funera tu recitas, Meursi, quae nulla libellis
   opto tuis veniant nec nisi sera tibi.
Cernimus hic cunas atque addita nomina fatis
   et bene sollicitos in duo vota patres.
Cum fletu tamen ille rudi ventura fatetur,
   et non visa prius respicit astra puer.
En tumulos, en busta virum luctusque superbos,
   quorum se pretiis excitat ipse dolor.
Hinc alias iterum lacrimas miserabilis urna
   quas bibat et celso raptus ab igne cinis.
In laudes vagire tuas tener incipit infans :
   quis scit an et manes hic quoque tangat honos ?
Omnes crede tibi populos, tibi dicere mundum :
   qui sunt qui non sunt, tu facis esse tuos.

## EX GRAECO THEOCRITI. EPIGRAMMA, CUJUS INITIUM ‘Τά ρόδα τά δροσόεντα’.

(Le lecteur aura de l’indulgence pour les graphies approximatives : elles ne sont pas de notre fait.)

E1_032
Serpillum densis foliis praesigne, rosasque
   rorantes divis pono Novensilibus.
Alticomam laurum, celebrat quam Delphica rupes,
   accipe sacratam, Pythie Phoebe, tibi.
At caper hic, qui nunc terebinthi brachia mordet
   ultima, mox aras imbuet ille tuas.

## ALIUD, CUJUS EXORDIUM : ‘Εύδ(?ς  φυλλοσρώτι πέδω’.

E1_033
Dum varii in summis stant montibus, aequore campi
   frondibus instrato te sopor altus habet,
Daphni, pater Faunus te captat, et ipse Priapus,

tempora sub crocea cui titubant hedera,
et jam succedunt antro simul : effuge Daphni,
effuge, nec somno mergere, sed vigila.

ALIUD, CUJUS EXORDIUM : ‘Τωαν τάν λαύραν’.

E1_034
Quo via per quercus, pastor, te ducet, imago
lignea ; nuper adhuc, ut puto, ficus erat.
Monstrum informe, tripes, cum cortice, et auribus orbum ;
in Venerem fetum quod tamen inguen habet.
Simplice quod cingit structum pietate sacellum,
et viret e saxo lapsa perennis aqua,
lauribus, et myrtis, et odorifera cupressu,
quas circumplecti palmite vitis amat.
Illic et tremulis mulcentes vocibus aures
congeminant merulae murmura, veris aves :
flava nec adversum ramis philomela dolores
dulcisono cessat molliter ore queri.
Illic ergo sede supplex, facilemque Priapum
exora, ne me Daphnidis urat amor.
Si datur hoc, praesens haedi cruor imbuet aras ;
Daphnide sin potiar, victima terna cadet.
Tunc capro faciemus, ovisque sub ubere fetu,
et vitula : placeant sic mea vota Deo.

IN STATUAM PISANDRI, CUJUS EXORDIUM : ‘Τόν (...) Ζανός όδ' ῦμιν’.

E1_035
Aeterni sobolem Tonantis illum,
et dextra et domito leone notum,
vatum quotquot erant ubique, primus :
Pisander celebravit ex Camiro,
cujus sunt labor Herculis labores.
Hunc ipsum pia cura civitatis
hic, ut noveris, aereum locavit
multis postea mensibusque et annis.

EX GRAECO AGATHIAE. IN LAPIDEM AJACIS.

E1_036
Me petram Ajacis manibus sub pectus adactam
Hectoreum frustra tollere quaeris humo :
aspra quidem et nigra sum ; sed magnus dicet Homerus
prostratum nostro pondere Priamidem.
Nunc me vix possunt paullum tellure movere
isti homines, saecli turpia probra sui.
Tu me, hospes, potius terra tege, namque pusillis
jam me ludibrium dispudet esse viris.

IN NAVIGATIONEM.

E1_037
Sat placidum ventis nigrum mare : littora nulla
insanis pulsat fluctibus aura Noti.
Unda nec in rupes saevis compulsa procellis

retro lapsa altum volvitur in pelagus.
Sed spirant Zephyri, blandumque susurrat hirundo,
dum nidum aggestis construit e paleis.
Navita pone metum, seu sit tibi Syrtis aranda,
seu tibi Trinacrii est ora legenda sali.
Portunoque scarum, vel rubram amburere bocam
sis memor, hoc ut agas, dum nihil est quod agas.

## AD FRANCISCUM VERIUM.

E1_038 In Neoportano sudatam littore pugnam,
magna Britannorum gloria gentis habe,
maxima spectacli pars illius accipe, Veri,
quod ferat haec eadem quae tulit arma manus.
Te primum, torvaque oculos in fronte micantes,
et praesensa animo vulnera, fugit Iber.
Flandria rursus erit virtutum certa tuarum
testis, et Oceani littora Pleumosii.
Hinc reducem lauru te cum victrice manebit
obsidionalis graminis alter honos.

## DE NAVIGATIONE IN FLANDRIAM.

E1_039 Cum modo Cottorum veteres invectus arenas
millena premeret puppe Batavus aquas,
"I, mea gens, inquit Neptunus, et haec tua crede
regna, nec externas respice semper opes.
Quid trepidas, invicta ? Tibi vicissse mereris :
te tua libertas, te tua fata vocant.
Quando erit ut magno redeuntia signa triumpho
aspiciam ? Poenas Flandria victa dabit.
Ipsa manu tot pone trahes castella, tot urbes,
Nervia qua Valachros respicit ora tuos,
quo ferus iste fugit ? Nescis, Hispane, tueri
flumina, jamque novo sanguine castra madent,
nondum etiam Flandri reginam littoris, ora
ferre subacta fame, captaque rostra vides ?
Quid miser in geminos actus te dividis ? Illis
quod menses, anni non potuere tui.

## OSTENDA LOQUITUR.

E1_040 Area parva ducum, totus quam respicit orbis,
celsior una malis, et quam damnare ruinae
nunc quoque fata timent, alieno in littore resto.
Tertius annus abit : toties mutavimus hostem ;
saevit hiems pelago, morbisque furentibus aestas,
et nimium est, quod fecit Iber. Crudelior armis
in nos orta lues, nullum est sine funere funus,
nec perimit mors una semel. Fortuna, quid haeres ?
Qua mercede tenes mixtos in sanguine manes ?
Quis tumulos moriens hos occupet hoste perempto,
quaeritur, et sterili tantum de pulvere pugna est.

## IN PORTUM AD SINUM FLACCIACUM.

E1_041

Flacciades Nymphae, quarum largissimus urnis
   effluit in falsas Mosa Batavus aquas,
hic ubi velivolis statio jam fida carinis,
   claustra freti Vornae continuere duae ;
huc properate choros ; hanc conchis comite molem :
   invidiam vestris detrahit illa locis.

## ALTERUM.

E1_042

Quod furit Hippotades ripis angustius istis,
   et pelagi ridet murmura tuta ratis,
munus id est Procerum, ni libera terra Tyranno
   plusquam naufragiis altera regna forent.
Extremis jam nauta redit securior Indis ;
   et faciles primo littore sentit heros.

## IN REGINALDI BREDERODII, PRAESIDIS OBSERVATIONES, DE PACTIS DOTALIBUS CORNELII NEOSTADII, ETRUMOLDI HOGERBETII, SENATORUM.

E1_043

Quas Hymenaee tibi, quas, Juno pronuba, leges
   describunt Batavi sidera terna fori,
patria commendat vobis, ut munere quorum
   humanum vivit perpete prole genus :
servet et hic meritos liber immortalis honores,
   dum torus, et dotes, et vir, et uxor erunt.

## ARX TEILINGA.

E1_044

Principibus, quorum veneratur patria nomen,
   arx placuit, solis haec metuenda feris,
dum satis hoc visum, nondumque tenentibus arma
   gratus in humano, sanguine ludus erat,
nec Batavum tellus civiles passa furores
   flebilis externo praeda jacebat hero.
Qui gradus in mundi quondam cervice locarat
   Sequanicam sobolem, Pannoniamque domum.
Tunc melius veteres nemora haec saltusque tenebant,
   Cattigena cincti nobilitate duces,
quorum ex antiqua supremus origine sanguis
   Teilingos habuit femina Boja lares ;
hisque sub arboribus, solio dejecta paterno,
   vim contra flevit jura valere nihil.
Arcis ob has de te quererer, fortuna, ruinas,
   ni gravior dominae tanta ruina foret.

## IN EUSEBIUM SCALIGERI.

E1_045

O quem respiciunt fugiturae protinus artes,

substititit Aonius quo retinente chorus,
cujus ad imperium nisi te fortuna vocasset,
non bene Scaligeras destituisset opes,
ambigimus merito, tu longius omnia vincas,
longius an curas ultima cura tuas,
Eusebii lacerum qua tot per saecula funus
in lucem genii reddidit aura tui ;
qualis Tantalides mensae pars ante paternae
adstitit, ipse suum cum stupuisset ebur,
aut qui membra solo monstris disjectus avitis
acceptum dominae Virbius esse tulit.
Cum vita censura venit, sordentia purgas,
quod prope plus etiam quam revocasse fuit.
Quis non invideat liber hoc ? Quae charta beatae
non cupiat dextrae promeruisse notam ?
Si conferre libet, quid tantum Pamphilus illi
praestitit ? Apparet non semel ille tuus.
Jure igitur nomen sumit majoris amici,
et titulo gaudet nobiliore legi.

IN OBITUM JUSTI LIPSII.

E1_046 Hoc quoque fer totum, sed tristis fama per orbem :
ille diu plausus deliciaeque tuae,
quem populis unum cunctis narrare solebas,
occidit, et tantum vivit in ore tuo.
Omnis ad exsequias, qua sol oriturque caditque,
hoc est qua legitur Lipsius, orbis eat.
Praecipue adspicies domini cum Tibridis arces,
fac septem resonet vox lacrimosa jugis :
Lipsius occubuit, cui quantum defuit aevi,
tantum nescitur maxima Roma tui.

IN NATALEM BURCHII.

E1_047 Hic tibi suspectum senibus qui terminat annum,
quali agitur vultu laetitiaque dies,
talis saepe precor redeat, clarissime Burchi,
quem celebres doctas inter amicitias :
donec inoffensae traducto tempore vitae
natalem supera sede beatus agas.

IN DISCESSUM AB AMICA.

E1_048 Demophoonta, feris fugeret cum Phyllida velis,
in Lemnum adversi paene tulere noti.
Miramur quod mille rates dimittere Chalchis
noluit ; in causa Laodamia fuit.
Me quoque pro domina faciens velut admonet imber :
hoc potius caelo debuit illa peti.

## LIBRI AN PUELLIS DANDI.

E1_049 Crede nihil nostris, aut omnia crede puellis :
lectricis mores pagina nulla facit.
Quae casta est, totum leget incorrupta Catullum ;
illi nil tutum est quae capit, et capitur.

## AD PAULUM CHOARTUM BUZANVALIUM.

E1_050 Dulcia privatae laudas quod commoda vitae,
ante diem longo fastus honore senex ;
et tibi non tanti est, Gallo subnixa favore
mittere trans orbes arma Batava novos,
ut nil nobilius, ruris caelestibus annos
tradere restantes, et tuus esse putes,
Buzanvalle, sapis ; nec te latet, optime, quae nos
suspicimus quam sint fumus et umbra levis.
Hoc si Chrysippus potuit, durusque Cleanthes
credere, nil miror : pauper uterque fuit.
Abstinuisse bonis facile est sperare negatis,
et quae non possis, dicere, nec cupio.
Sed dederis, quod quam paucis contingit, amico
virtutumque bono judice, rege frui,
rege datis multus deberi plura fatente,
quis scit, num subito spiritus iste cadat ?
Ille vir est, a quo retulit fortuna repulsam,
inveniens clausos ad sua dona sinus.

## IN BUZANVALII PERICULUM.

E1_051 Nobilium flos docte virum, cui gratia regis
tanta patet quantum vatibus ipse faves,
si scelus istud aquae, tua dira pericula, quondam
vidisset felix carmine turba prior,
Maeonides caneret, quod Ulyssi praestitit Ino,
hoc tibi jam patriae vota dedisse tuae.
Parcius optaret laudatam Pindarus undam,
nec solus crimen Naidos esset Hylas,
ipsas quos Helicon, juga quas Parnassia fundunt,
suspectas vates omnis haberet aquas.
Non faceret Pimple, non Pegasis unda poetas,
sed tua pro cunctis fontibus ora forent.

## ALIUD.

E1_052 Lympha lacu Stygio Letheque infamior ipsa,
et quam Cocytus non velit esse suam,
propter quam nostris irata est Gallia ripis,
et patrias odit paene Batavus aquas,
tunc igitur nostrum voluisti exstinguere lumen,
quod stabili gentes nectis amore duas ?
Legatique sacrum media inter proelia nomen
materiam sceleri quaeris habere tuo ?

Scilicet ut prae te pia sit Bellona, sibique
quod negat et Mavors, audeat unda nefas ?
Te nostrae fugiant laurus, te mitis oliva ;
solaque te taxus flebilis umbra tegat.
Arceat ipse suos a gurgite Phoebus olores,
nec volucrum norit carmina dira palus.
Sed te justa gravi repetens convicia limo
rana vetet sceleris non meminisse sui.

ALIUD.

E1_053 Cum jam videret impio premi stagno
os, quo loquente se volebat audiri
parens virorum Gallia atque virtutum,
heu quid paratis, clamitat, nefas, Parcae ?
Revocate fusos. Hactenus mihi vixit
acer juventae, seu vigore confertos
irrumpit hostes, fertque se obvium bello,
seu major annis jussa maximi reges
perfert, potentum luminum salutator,
concordiaeque sacra firmat interpres ;
explevit annos nempe, sed meos tantum :
sui supersunt. Non iniqua poscenti
parent sorores, redditur colo pensum,
eademque torto lana ducitur fuso.
At tu, Choarte, fruere caelitum dono :
memor, peractam nil moratus aetatem,
annos ab illo computare natali.

IN AULICOS, URINAE TRIBUTA PETENTES.

E1_054 At ille pravi pereat auctor exempli
ductor Quiritum Flavia satus gente,
qui sub tributum jussit ire vesicas.
Quid hunc sequi vos aulici juvat morem ?
Vos movit odium turpe olentis urinae.
Illum cupido suave olentis argenti,
hoc ergo distat jus utrumque, quod nasus
avarus illi, delicatus est vobis.

ALTERUM.

E1_055 Aula merum donans, urinam jure recusat :
nam reddi nemo vult sua dona sibi.

IN POEMATA D. BAUDII.

E1_056 Candida posteritas, quae nec livore maligno
roderis, et melius quod fuit ante vides,
ad te nota parum facundi pagina Baudi
provocat, in nullas ambitiosa preces,
sed quidvis contenta pati, nisi carmine lecto

ingrati, damnas saecula nostra nota.
Tutque adeo, quamvis tali veniente poeta
antiqui palmam vix tenuere tui,
gaude Roma tamen : quod non jam sola lepores
jactat et argutos Graecia docta sales,
quod veteris socci jocus, ultaque tela Lycamben,
additur ad laudes ultima summa tuas.
Baudi munus habes : debet cui turba bonorum,
quod modo securis non licet esse malis.

ALIUD.

E1_057 Quem legis et laudas si vis nobisse poetam,
versibus et vita Baudius unus erat.
Vidimus hunc ipsum qualem tibi carmina monstrant :
ingenium domini laeta papyrus habet.
Talis erat, seu cum fluitarent prospera, seu cum
immeritum premeret saevior aura caput,
liber et intrepidus, nec qui concederet umquam
fortunae magnis regibus esse minor ;
nulli sponte nocens, et amabilis hostibus ipsis ;
in quo, si nosses, perderet ira locum
infensus sceleri, sed non ut lege severa
viveret, antiquae simplicitatis amans ;
melle madens, et quo non incorruptior alter
miscuit innumeris seria multa jocis.
Et si cuncta simul permittis dicere, vates
Teius arguto mixtus Aristophani.

DE AMBITU.

E1_058 Rebus gerendis publicisque commodis
natus petendis hunc honoribus modum
praescribe, temet ut offeras, non ingeras.
Ambire semper stulta confidentia est,
ambire numquam deses arrogantia est.

DE CONATU HOSTIS IN TRANSEUNDO VAHALI.

E1_059 Dives aquis regni Vahalis tutela Sicambri,
et quocumque fluis nomine, Rhene pater,
perge gravem nostris defendere finibus hostem
cujus ab inviso sanguine saepe rubes.
Sic secura tuis veniant commercia ripis
fontibus a primis ad maris usque vias,
cum procul a Belgis peregrino Marte fugato
candida pax populis libera jura dabit.

IN MORTEM LUCAE TRELCATII PATRIS.

E1_060 Plebs tua cum patriae fines, et quidquid amatur,
linqueret, exsilio quaerere jussa Deum,

os potuit tantae siccum praestare ruinae,
   et gemitum est fatis ausa negare suis.
Quae nunc ecce tuo, Trelcati, percita luctu
   fortis in hoc primum desinit esse malo.
Quas populi lacrimas, quos planctus cernimus urbis,
   ut magis haud alium fleverit una domus.
Quis fueris constat ; lacrimis agnosceris illis :
   frater amore pio, sortis honore pater.
Te modici sanctique lares, te templa requirunt,
   te schola, te verum discere quisquis amat.
Praecipue, quae te profecit teste juventus,
   miratur tantum jura valere necis ;
et quod tu toties scriptis, quod voce monebas,
   exemplo vellet non didicisse tuo.
Heu miseri, nondumne igitur commissa fatemur,
   tam fera quos caelo vindice damna premunt ?
Nam nostrum decus ingrato qui sustulit aevo,
   nos peragit tanti funeris ille reos.

## IN MORTEM ANGELI MERULAE.

E1_061
Staret ad arsuros cum jam pater Angelus ignes,
   damnarat cujus saecula voce Deus,
squalentem senio, squalentem carcere vultum
   sustulit immensis fortior ipse malis.
Coeperat ad tantum facinus pallescere quisquis
   fecerat ; unus habet judicis ora reus.
"Non, ait, hoc letum, non hanc, pater optime, flammam
   deprecor ; auspiciis vicimus ista tuis.
Ducere jam possim poenas et vivere centum
   mortibus et cineres nempe videre meos.
Pro me, Sancte, nihil : maneant quae diximus oro ;
   sit tamen o quondam tutius ista loqui."
Haec ubi conisus quantum vix posset ab annis
   protulerat, sequitur spiritus ecce preces,
vitaque cum dictis pariter super astra recepta est ;
   labitur ante suos corpus inane rogos.
Eripuit sceleri mortem deus ; impia turba
   saevitiae queritur nil licuisse suae.
Quod superest, gelidos flammas inmittit in artus,
   et poenam cupiens poscere, justa facit.

## IN OBITUM PAVLI CHOARTI BUZANVALII.

E1_062
Accipe defuncti placido mea membra sepulcro,
   a Patria semper terra secunda mihi.
Hic ego, dum licuit domino servire tibique,
   securos sensi molliter ire dies :
sollicitus tantum, ne non satis undique tuta
   vel tua libertas vel tua sacra forent.
Nunc quoque quod Batavos incerto in Marte relinquo,
   crede mihi leto tristius esse malum.
Rex bone, praesidium miseris ultorque superbis,
   cui vitam debet Gallia tota suam,

si nullas acies, si vulnera nulla refugi,
   parsque tui belli si fuit ista manus ;
si tot apud populos et tot sacra nomina reges,
   est tibi perpetuo nostra probata fides ;
si, ne jussa tibi peragam, quae sola potest, mors,
   quod dolor et morbus non potuere, vetat ;
hanc mihi redde vicem : tumulum defende ministri,
   ossa ferox olim ne mea calcet Iber.

## IN ADVENTUM MARCHIONIS SPINULAE.

E1_063 Spinula, virtutes cujus laudavimus olim,
   tunc quoque cum nobis esset amare nefas,
spes sit quanta tui, perculsi munere tanto
   si taceant homines, flumina crede loqui.
Illi pro nostris vigilantes finibus amnes,
   qui toties cursus sustinuere tuos,
strati sponte jacent, aequataque tramite molli
   pacis amatricem se probat unda tibi.
Nil tibi navigiis opus est, nil pontibus ullis,
   haec tantum armatos ferre recusat aqua.
Quin etiam caelum venienti serviit : ipsa
   frigora tam longas cum posuere minas.
Quae tam triste gelu tam felix aura resolvit ?
   Non solis, non est aeris illa, tua est.
A te tam placidos sumpserunt tempora vultus :
   bella cui debent cedere, cessit hiems.

## IN OCTAVII VENII. EMBLEMATA AMATORIA.

E1_064 Questus Amor, nondum sua respondere triumphis
   praemia, nec, famae quod satis, acta sequi ;
mille per artificum spatiatus millia, legit
   Octavi doctas aes animare manus.
Ipse regit ferrum, vultus ipse imprimit aeri,
   et gaudet duris durior ipse puer.
At laetus monumenta Dei victricia mundus
   accipit, et plaudit cladibus ecce suis.
Ecce Cupidineas omnis jam dextra tabellas,
   et Paphios lusus jam sinus omnis habet.
Praeda puellarum juvenes, juvenumque puellae,
   discite quid valeant tela potentis heri.
At vos ite procul, tanto quibus ista videre
   spes erat, et pictus laedere novit Amor.

## AD PACEM.

E1_065 Mitis filia maximi Tonantis,
cujus jam Batavi cruenta septem
per quinquennia nesciere nomen,
da nobis veniam, quod ille alumnus
bellorum populus, sati sub armis,
et quorum clypei fuere cunae,

externis toties dolis petiti,
quorum non meminisse tam suave est
quantum oblivia sunt periculosa,
securique diu timore solo.
Quam mens tota cupit petitque, nondum
audemus tamen invocare pacem.
At tu semina disparata mundi
certo foedere quae vetas perire,
Belgis redde fidem, soloque fruges,
cives moenibus, amnibusque merces ;
aut nondum bona tanta si meremur,
illos vincere da, benigna, bello
qui belli sibi quaesiere finem ;
illos da, dea, pessime perire
qui per foedera quaesiere bellum.

## IN OTTONIS VENII EMBLEMATA HORATIANA.

E1_066 Quale apud Ausonios veteri certamen in aevo
Roscius ingenti cum Cicerone fuit,
cum pater orchestrae, gestus digitosque loquaces,
opposuit tanti viribus eloquii ;
aut Jovis ut magni quatientem sidera vultum,
et caput, et sacri verticis omne decus ;
Maeoniae pugnant cum majestate Camenae,
Phidiacum Graios cernere fecit ebur ;
omnia sic, doctas quibus implet Horatius aures,
Otto tuae nobis exhibuere manus.
Sic Romana fides caelo est aequata Batavo :
respondet numeris linea quaeque suis.
Viveret o utinam regum Tyrrhena propago,
ferret ut hic etiam praemia digna labor.
Tu quoque, Flacce, tuis debebas versibus illum
dicere, qui versus monstrat in aere tuos.
Quicquid de Thressa legitur testudine, credo,
ex quo etiam surdis scit tua Musa loqui.

## IN MORTEM SCALIGERI EPICEDIA.

E1_067 Iret ad occasum cum lux clarissima mundi
Scaliger, et sanctum conderet umbra caput,
dicitur exemplo tu saevi funeris aether
territus, atque ipsi contremuisse poli.
Te quoque perculsum, genitor radiate diei,
credibile est, viso sidera posse mori.
Non minus ille suo lustrabat lumine terram,
non minus in gemino cardine notus erat,
sed non tu retro radios in saecula vertis,
nec potes hesternum tu revocare diem :
eriperet nocti qui saecla, diesque diei
redderet, ille fuit, qui tamen, ecce, fuit.

ALIUD.

E1_068 Huc ades, huc, hospes, seu per mare, sive per Alpes,
ad Batavos Brenni vectus ab urbe venis,
non aliena tibi jacet his in sedibus umbra,
a ducibus sanguis sed venit ille tuis.
Hic situs hic ille est Josephus Scaliger, ipsa
quin hic Scaligerum gens tumulata jacet.
Nec tu sceptra tamen, regnique insignia quaere,
et quae quo libuit fors inimica tulit.
Imperium longe majus sibi condidit, et cui
non Athesis finem, non Padus ipse facit :
quod vix Oceanus, vix caelum terminat. I nunc
et magnos aliquid crede fuisse Canes.

ALIUD.

E1_069 Hic jacet et Gades super exauditus et Indos
Scaliger, hic mundi publica lingua jacet.
Hunc velut amissum Memphis deploret Osirim,
divitis huic silvae munera mittat Arabs,
Aethiopes portare legit quae gramina Phoenix,
et Solymi plena balsama ferte manu.
Hunc Syrus Euphrates, hunc Medus plangat Hydaspes,
et qua tu primum, Nile , crearis aqua,
Graecis desertas Aganippes effleat undas,
censeat hunc atrum Martia Roma diem.
Europam pariter, Libyamque, Asiamque per omnem,
per sola terrarum, per freta luctus eat ;
et dicant populi : "Jacet in tellure Batava
hic qui pro populis omnibus unus erat."

ALIUD.

E1_070 Unica lux saecli, genitoris gloria nemo
quem puerum, nemo credidit esse senem,
tam sibi par semper, quam cunctis celsior unus,
et qui se totum debuit ipse sibi,
exsuperans fama, quos aequat sanguine reges ;
sceptrigeris majus nomen adeptus avis :
hic jacet ille capax immensi Scaliger aevi,
nec sibi mors umquam plus licuisse putet.
Quid querimur raptum ? Mens est qua vivitur : annos
ille tot exegit mente, quot orbis habet.
Omnia dum retro mundi vestigia quaerit,
quaerentem retro destituere dies
emensus populos et dissona gentibus ora
ambierat, quantum lumine Phoebus obit.
Testamur, natura, tibi non defuit ille :
tu gentes alias, saecula plura dares.
Ultra Scaligerum nihil est : nec Scaliger ultra.
Ille tui finem repperit, ille sui.

ALIUD. IN EFFIGIEM SCALIGERI IN BIBLIOTHECA SERVATAM.

E1_071
Inter mille libros (nec sedes dignior ulla)
quae tulit immensus Scaliger, ora vides.
Mille libros hospes nimium ne respice major,
hic tibi quem monstro bibliotheca fuit.

ALIUD.

E1_072
Cum plutei doctis turgerent undique chartis,
quas velit aeterno fama fovere sinu,
exheredavit moriturus Scaliger orbem,
et vetuit post se scripta videre diem.
Heu nimium duras e miti pectore leges,
pro quibus impietas magna sit esse pium.
Digna sit hac poena praesens quae vivitur aetas,
nempe haec quae Titios Scoppiadasque tulit.
Sed quo posteritas meruit non posse doceri ?
Aut quid fecerunt tam bona scripta mali ?
Parce pater, si, nos recte tibi cuncta monenti
credere, in hoc uno credimus esse nefas.
Publica sunt istaec. Semel ut te fata dederunt
omnibus, inde potest jam nihil esse tuum.
Sit tamen, ut mandas : nequeunt vel pressa latere,
quae tantum ex tanto nomine lucis habent.
Quicquid nescitur, foliis quaeretur in istis :
hinc sibi responsum maxima turba petet.
Quanta nec Euboicae celebravit virginis antrum,
nec tripodes medio quos habet orbe locus.
Quid juvat in populos has non dimittere chartas ?
Scaligeri circum scrinia mundus erit.

IN EFFIGIEM SCALIGERI, PAULLO ANTE MORTEM EXPRESSAM,
QUAE EST APUD V.N. CORNELIUM VAN DER MYLEN EQUITEM.

E1_073
Haec est Scaligeri mortem meditantis imago,
luminis heu tanti vespera talis erat.
In vultu macies, et tortor corporis hydrops,
sed tamen, et magni conspiciuntur avi.
Laeva tenet chartas Nabathaei munera caeli ;
armatur calamo nunc quoque dextra suo.
Haec est illa manus, vitam cui tota vetustas
debet, et a primo tempora ducta die.
Quod si Scaligero meritis par vita daretur,
non nisi cum mundo debuit ille mori.

IN EFFIGIEM JOHANNIS SAMOSCI, MAGNI POLONIAE CANCELLARII,
IN AURO EXPRESSAM, ET SCALIGERO LEGATAM.

E1_074
Prima diu patriae tutela, decusque Samosci,
ex aequo gemina Palladis arte potens,
sic oculos, sic tu frontem, sic ora ferebas.
Cum pacatus eras, ut puto, talis eras.

Non hunc aspicio, Livonum quem saeva timebant
   agmina, praecipiti quem Scytha fugit equo ;
sed duce qui posito Romam, qui Cecropis urbem
   ausus es in media ponere Sarmatia.
Talis Scaligero voluisti nempe videri,
   qualem te Musis Scaligeroque dabas.

## IN EANDEM.

E1_075
Materies aurum est. Ductoris imago Samosci,
   Scaligero donum qui dedit, ille mihi.

## IN ECCLESIASTEN APOLLONII SCOTI.

E1_076
Huc ades et Scoti sapientes inspice chartas,
   doctrinam quisquis cum pietate colis.
Non Aganippeo bibit hic de fonte poeta,
   sed de Jordanis lene sonantis aqua ;
non dedit hos aestus mendax Parnassia rupes,
   sed pia veridica nobilis arce Sion.
Non hic trita sequens veterum vestigia vatum
   Maeonide caeco sub duce carpit iter ;
rex operis ductor, rex qui simul omnia vidit,
   omniaque haec unum comperit esse nihil.
Non hic Troja tibi legitur, Thebanaque monstra,
   sed Deus, atque Deo conciliandus homo.
Evitare cupis quisquis fallacia vitae
   somnia, securos quisquis habere dies,
haec lege despectum calcantia carmina mundum,
   quantum scire sat est, continet iste liber.

## IN MEURSII LEXICON GRAECO-BARBARUM.

E1_077
Acipe quem tibi dat, lector studiose, laborem
   Meursius : hac charta Graecia tota patet ;
non quae Socratico quondam sermone locuta est,
   quae Macetum linguae fulmine fregit opes.
Sed qualis moriens in regni sede superbi
   singultus olim maestaque verba dedit,
cum Byzantinos habuit nova Roma quirites,
   heu male vicinis praeda futura Getis.
Doctrinae cultusque parens (quis credere possit ?)
   Graecia, qua dempta barbarus orbis erat,
huc cecidit, Graecos velit ut qui discere libros,
   debeat hinc Graecam discere barbariem.

## AD AELIUM EVERARDUM VORSTIUM, MEDICINAE PROFESSOREM.

E1_078
Sic cedat quod ubique mali est, coeantque repente
   vulnera, tam doctae quae tetigere manus,
nullaque sit pestis, vis hausti nulla veneni,
   quam tuus eximia non fuget arte labor,

et toties retro mors acta potentibus herbis
victori veniat non nisi sera suo ;
ut te praecipue, Vorsti, delector amico,
et juvat imprimis me placuisse tibi :
non tantum quoniam, dum tu mihi prospicis, in me
experior morbos juris habere nihil ;
ut nuper, cum saeva mihi quartana minata est
in longum segnes maxima damna dies ;
sed quia, peste magis, magis occidente veneno,
odisti, virtus quicquid amare negat.
Est aliquid morbis, plus est mihi crede, mederi
moribus, atque animis ferre potenter opem.
Pessima sunt saecli contagia. Tot male sanos
inter, et aegrotos qui valet, ille valet.

## IN MORBUM SPONSAE JOHANNIS REIGERSBERGII.

E1_079

Haec quae te potuit domare prima
effrenesque diu ligare sensus,
cepit, sed pariter puella capta est,
et contagia traxit in medullas
flammae nec tenuis, nec ante notae.
Et jam pallida lectulo jacebat.
Imis visceribus faces anhelans,
jactandoque suum fovebat ignem,
quem stulti medici febrim putabant.
Hic tu sedulus assides cubanti,
et tangis digitos et ora mulces.
Solum te videt, audit illa solum,
et lusus faciles jocosque molles
tanti jam putat ut valere nolit.
Sed mox fortior exsilit cubili,
et formam recipit, suasque vires.
Quid mirum ? Gravis est deus Cupido
dum luctamur adhuc ; levis sed idem
cum victi dominum fatemur ultro.
Sic nunc illa suo calore gaudet,
et vitam putat hoc, quod ante morbum.

## IN NUPTIAS V.C. JOHANNIS REIGERSBERGII.

E1_080

Aspice cincta mari quem dat tibi terra triumphum,
nata maris vasti fluctibus alma Venus.
Ille per innumeras elapsus saepe puellas
substitit, et tandem frena momordit Amor.
Post populos visos, haustasque fideliter artes,
post data sublimi Jura regenda manu,
hoc aberat votis. Nam maxima sortis amicae
pars est, participem sortis habere suae.
Illa etiam felix, facibus quae debita veris
spes non unius virginis una tenet.
Cernitis, ut morbo nuper profecerit ipso,
ut bona nil possit de febre forma queri ?
Aegrotantis herae magis aegrotabat amator,

et febris illius, sed dolor hujus erat.
Haec tormenta tamen magna mercede placebant :
prospera non poterant fata probare fidem.
Erubuit fortuna suum scelus, et "Satis, inquit,
et plus quam satis est, hoc licuisse mihi :
nunc mea tam maneant constantia semper in illos
munera, quam constans pectora junxit amor."

### IN ALBUM JANI RUTGERSII.

E1_081 Pictus Apollinea stellantia tegmina lauru,
qui domini vatis se probat esse liber,
optime Rutgersi, non huc in plebe latentes,
sed notas toto quaerit in orbe manus,
quas longaeva manent constantis saecula famae,
omnis quas cupiat bibliotheca suas.
Iste Casaubonos habeat liber, iste Thuanos :
Heinsiacas monstrat gentibus iste notas.
Aurea doctorum recitatrix charta virorum,
nonmina quae tantum non moritura vehis,
quid tibi nobiscum ? Quid nos procul ordine vulgi
detrahis, et juxta sidera summa locas ?
I tamen, et quaeret siquis, narrare memento
hoc tantum, domino me placuisse tuo.

### IN EFFIGIEM HENRICI MAGNI, REGIS GALLIARUM, QUAE EST APUD V.N. CORNELIUM VANDER MYLEN, EQUITEM.

E1_082 Quantum aliis reges, tantumdem regibus exstans,
est bello, et belli victor, et ipse sui.
Hic ille Henricus, quo Gallia dante recepit
fracta decus, mores barbara, pauper opes.

### IN EFFIGIEM MARIAE MEDICEAE, REGINAE GALLIARUM ; QUAE IBIDEM.

E1_083 Omnia contulerat magno victoria Regi ;
sed deerat soboles : hanc Medicaea dedi.
Ut, quod non periit, conjunx tibi Gallia debet,
sic mihi, quod poterit jam superesse tibi.

### IN EFFIGIEM LUDOVICI REGIS GALLORUM ; QUAE IBIDEM.

E1_084 Vivas, parve puer, sed sic quoque, maxime regum,
publica cum cujus juncta salute salus,
et cito te patriis doleant virtutibus auctum,
qui scelere exstinctum non doluere patrem.

### IN TUNINGII APOPHTHEGMATA.

E1_085 Octo decemque tibi primos absumpserat annos,
Tuningi, (vix est credere) torpor iners,

nobilis ingenii dispendia flere liceret ;
sed facis, ut lucro sint tua damna tibi.
Est grave sex annis Latialem discere linguam :
hoc tua vis sexto mense peregit opus.
Verteris ad leges ; citius quam discere cuiquam
contigit ; has alios nec sine laude doces.
Otia quis credat tanto superesse labori ?
Sed quorum fructus ista papyrus habet.
Graecia, Gallus, Iber, charta spectantur in una,
et gens quae nunc est Itala, quaeque fuit.
Tam nova quam veterum bene dicta jocosque tenere
hoc aliis studium, sed tibi ludus erat.
Nil hic de toto ratio desiderat aevo,
nec tibi nunc anni bis periere novem.
Nam ne de vita decedat inutile tempus,
vita sequens plus quam bis numeranda facit.

## IN ROCHI HONERDII SENATORIS, TRAGOEDIAM THAMARAM.

E1_086 Herculeus labor, et soli fugienda Mycene
scilicet, et scelerum tot rea prima ratis,
et numquam Thebae sine crimine, et aspera fata,
quae Trojae victor, victave Troja tulit,
vatibus haec Graecis, haec declamata Latinis,
non male mentiri laus quibus una fuit.
Tu melius, sicut doctumque piumque decebat,
conjungis Tragicos cum pietate modos.
Nec reris cantare nefas, quae credere fas est,
nec tibi relligio est, relligiosa sequi,
qui numeros, qui verba capis, qui pondera rerum
suspicis, ut vacuae nobile mentis opus.
Tu fervente foro, mediis in litibus ipse,
secessu dignum carmen, Honerde, facis.
Sancta senatoris gravitas in carmine lucet,
et domini mores seria charta probat.
Ipsa pudore rubens trepidat scribentis ad ora
regia fatidico nata parente Thamar ;
et metuens ne quid possit peccasse videri,
vatis verba, notas judicis esse putat.

## IN PRAETORIA QUAEDAM REGIA ANGLIA. NONSWICH.

E1_087 Lustranti silvas et devia tesqua Jacobo
Nonswichi praeses casta Diana fave :
sanguinis humani manus hoc tam parca meretur,
armatam in solas quam juvat esse feras.

## HAMPTINCOURT.

E1_088 Siquis opes nescit (sed quis tamen ille ? ) Britannas,
Hamptincurta tuos consulat ille Lares.
Contulerit toto cum sparsa palatia mudo,
dicet : ibi reges, hic habitare deos.

WINDSOOR.

E1_089 Excelsis Windsora sedens in collibus, astris
vicinum regem quo licet usque facit.
Subter at arva beans Tamesis lenissimus amnis
sic similes domino se probat esse suo.

RICHEMONT.

E1_090 I Richemontano jam jam moritura cubili
his adiit verbis Elisabetha Deum :
"Haeredi moresque suos, mentemque relinque :
fortunam atque annos da, Pater Alme, meos."

IN ORGANUM MOTUS PERPETUI, QUOD EST PENES MAXIMUM BRITANNIARUM REGEM.

E1_091 Perpetui motus indelassata potestas,
absque quiete quies, absque labore labos,
contigerant caelo, tunc cum Natura caducis
et solidis unum noluit esse locum :
et geminas partes Lunae dispescuit orbe,
in varias damnans inferiora vices.
Sed quod nunc Natura suis e legibus exit,
dans terris semper quod moveatur opus ;
mira quidem res est, sed non nova, maxime regum :
hoc fieri docuit mens tua posse prius.
Mens tua quae semper tranquilla et torpida numquam
tramite constanti per sua regna meat.
Ut tua mens ergo motus caelestis imago est,
machina sic haec est mentis imago tuae.

IN FLORES MISSOS BARCLAIO.

E1_092 Hos tibi, flos juvenum, dat nostra Batavia flores,
et, ne displiceant munera parva, rogat.
Telluri tam multa dedit natura Britannae,
possit ut hinc vobis nil nisi vile dari ;
si tamen adjiciant donis quid vota, precabor
ut triplici partu sit tibi feta domus :
et domina pueros, domino pariente libellos,
hortus et ipse suas edere certet opes.

IN DANIELIS HEINSII POEMATA.

E1_093 In diversa diu diversas pectora dotes
contulit, et parce larga Camena fuit.
Quisque sui vates coluerunt carminis artem,
singulaque ad laudem dena fuere satis.
Non epos est Flacco, lyra nec tentata Maroni,
nec tetigit tragicos ille vel ille modos.

Nec tibi Naso, tibi nec credita plectra Properti,
   sed neque Bilbilici vos decuere sales.
Romani solum Senecam novere cothurni ;
   si velit hic elegos scribere, nullus erit.
Sunt et quos sylvae, sunt quos epigrammata laudant,
   justa quidem famae causa, sed una tamen.
Nunc congessit opes, atque in te, nobilis Heinsi,
   effudit totos prodiga Musa sinus.
Tu tandem inventus par donis omnibus unus :
   in tot sufficeres qui bona solus eras.
Tu lyricos cantus, elegos, epigrammata, sylvas,
   tu tragicum carmen, tu grave pangis epos.
Itala te pariter celebrat, te Graia Camena,
   tertiaque in partes nostra Batava venit.
I nunc, et jacta tua nomina magna vetustas.
   Ponimus hoc contra tot tua saecla caput.
Haud equidem quemquam, qui singula rectius ista
   praestiterit, vel qui tam bene cuncta, dabis.

## ALIUD.

E1_094 En redit hic ad te, vatum pia gaudia, lector,
   quo nullus toto notior orbe liber.
Sed nova mundities cultusque accessit herilis,
   cumque recente vetus munere munus habes.
Non, recte scripsisse, sat est : meliora reponit ;
   et quod fama probat, non probat auctor opus.
Vicerat antiquos, et cui concurrere posset
   Heinsius, haud quemquam saecula nostra dabant.
Repperit ecce parem. Contra se currere coepit.
   Siqua fides, jam se post sua terga videt.
Desine nunc operum studiis, clarissime vates,
   et caeli saltem jus imitare tui.
Omnia qui claudit, cum se quoque clausit Olympus,
   hunc finem statuit rebus, et ipse sibi.

## IN IMAGINEM BUIESII, SENATORIS.

E1_095 Ille pie doctus, docte pius, et modo primum
   linquentis Batavos simplicitatis amans,
quo sacra Bujesius, quo commoda publica rexit,
   quo res privatas, hoc datur ore tibi.
Nil optare queam majus tibi, patria, multos
   quam tales habeant curia, templa, forum.

## AD POLYANDRUM, THEOLOGIAE PROFESSOREM.

E1_096 Aurea pax turbae nimium sapientis abhorrens
   jurgia Palladia dum struit urbe fugam,
ingenii, Polyandre, tui mirata serenum
   substitit, et tales fudit ab ore sonos ;
aut ego cum tanta recte pietate morabor,
   aut mihi jam nullus restat in orbe locus.

## ALBUM PHILIBERTI VERNAT.

E1_097 Aurum qui videt hic, et uniones
quales vix pelagi rubentis ora
miratur teneris nitere conchis,
ne credat domino placere libri
haec quae prima solet putare vulgus ;
illi deliciae severiores
sunt quas interior liber recondit,
sanctae nomina dedicata famae,
et cultu studii pares amici,
quorum gloria sicut aequat aurum,
sic mens candida vincit uniones.

## DE CASU TURONENSI, AD REGINAM, REGIS GALLIAE MATREM.

E1_098 Magni magna parens Regis, qua sospite nostris
non surdum votis credimus esse Deum,
quod te stante domus traxit pars alta ruinam,
hoc etiam caeli non leve munus habes.
Nam quae cura fores Superis, ostendere mundo
imperturbati non potuere lares.
Quin aliis quoque te propter fortuna pepercit,
quos trabe praecipites, sed sine morte, dedit.
Exarmat tua sic omnes praesentia casus ;
agnoscit fatum Gallia nostra suum :
quod stetit illius, per te stetit ; hoc quoque regni
quod cadit, illaesum te relevante manet.

## IN ORATIONES DANIELIS HEINSII.

E1_099 Post dignum Latio pedem cothurno
post Rossae teneras amationes,
scriptas carmine, quale Naso, quale
Romanus cuperet suum Philetas,
post Flacci citharam, tubam Maronis,
post tantae trimetros severitatis,
ut rugas superent Catonianas,
jam Demosthenicae sititor undae,
linquis Pegaseos, amice, fontes,
regnans eloquio solutiore,
dum nunc ingenii fluentis aestum
libertas tibi Tulliana laxat ;
nunc facundia Plinium secuta
constringi studet artiore gyro,
nunc docti Senecae refert acumen
densis pagina seminata gemmis.
Heinsi, vive diu, diuque de te
certet Suada potens novemque Musae.
Quicquid nominibus prioris aevi
aeternam potuit parare famam,
hoc in te liceat stupere solo.

Millenis facibus superba nox est ;
astrum sufficit unicum diei.

AD BENJAMINUM AUBERIUM, MAURERIUM REGIS GALLIAE LEGATUM.

E1_100
Debeo multa tibi, quantum vix patria nostra,
   quantum vix etiam Gallia vestra potest,
optime Maureri ; tamen isto pagina libro
   nulla est in laudes officiosa tuas.
Quid facerem ? Canerem tibi quae reverentia sceptri,
   casibus et nullis cedere certa fides ;
aut tibi quam constent sapientibus otia chartis,
   quas scripsit Latium, quas dat Achiva manus ?
Succumbant oneri tenerae Pimpleides. Ista
   dicere, da veniam, vix satis ipse potes.
In reliquos aliquid liceat mihi, nomina tanta
   rectius est tacita relligione coli.

IN HONOREM JACOBI DYCKII, REGIS SUEONUM LEGATI.

E1_101
Si fastidia plebis et potentum
morosas, Liber, oscitationes
te perferre piget, dabo receptum.
Hic qua limine conspiranda primo
urbes ductibus aemulans aquarum
campis se leviter sequestrat Haga,
aeterna trabe nobilique saxo
surgit magna domus minor struente,
pulsis ipse foro suos penates
jussit perfugium patere Musis,
cujus consiliis gubernat aulam,
quoque interprete noscitur Batavis
rex qui sub gelido timendus axe
binos Sauromatas fatigat armis.
Nullis laetior aedibus Thalia,
lauro festa domus ; strepunt superbi
postes carminibus, sed Heinsianis.
Quod si judice Dyckio probaris,
et tam docta tibi vacabit auris,
ultra jam nihil est, Liber, quid optes.
Res est regia talibus placere,
ostendunt sibi quos placere Reges.

IN MORTEM UXORIS JABOCI AUGUSTI THUANI.

E1_102
Cum fera civiles Discordia redderet enses,
   et bellum nullo sumeret hoste furor,
dum sibi quisque timet, ne vis immensa ruinae
   privatas secum praecipitaret opes,
securus solita pro libertate Thuanus,
   sollicitusque tibi gallia, solus erat.
Intactus studiis culpas damnavit utrimque
   et contra partes pars stetit ipse duas.

"Rursus, ait, rursusne miser scelerata videbo
   proelia et armatas in sua damna manus ?
Hanc das materiam nostris, o Gallia, fastis ?
   Hoc unum de te quod referamus erit ?
Hoc ego ne videam, potius quacumque merentur
   saecula, me caeli vindicis ira premat.
Inveniat vulnus patriae sine vulnere fatum :
   omne malum regno sospite ferre leve est."
Audierat nimiumque, polus pax reddita cunctis,
   sed pia pro cunctis plectitur una domus.
Matronale decus, specimen venerabile morum,
   dignaque tam magni conjugis uxor obit.
Quam bene viderunt superi, qua parte nocerent
   publica vix tanti debuit esse salus.
Ille animus qui sprevit opes, cotempsit honores,
   his tantum potuit luctibus esse minor.
De reliquis facile est, solamen lene dolorum
   perdere, solamen vix capit iste dolor.
Quid tibi dicemus vir nostro celsior aevo ?
   Quam tibi nos humilis turba feremus opem ?
Nil tibi sccurrat nisi tu, sed pectore, quanto
   gesta prius memoras et memoranda geris.
Exemplum te grande sui Constantia poscit :
   quid valeat virtus, jam didicisse licet.
Impia concurrit toti Fortuna Thuano.
   Par nullum potuit majus in orbe dari.

## JANO RUTGERSIO, SUECORUM, ETC. REGI A CONSILIIS, IN SUECIAM ABEUNTI.

E1_103 Vos quae caeruleo nescitis gurgite tingi,
   custodes axis, magna minorque ferae,
suppositum vestris petit en Rutgersius orbem
   sideribus, patriae sidus et ipse suae.
Incolumem praestate ratem , bona plurima secum
   quae vehit, Arctoae non bene nata plagae.
At juga Saevonis, glacialique aequore cinctas
   Lappionum terras, et Scritofinne tuas
Actaeae veniunt artes, Romanaque Suada,
   Barbariem longe qui fuget hospes adest,
qualis praecipitem vates Oeagrius Hebrum
   Sithonia fertur detinuisse lyra ;
qualis et ille solo dignus meliore poeta
   plastrivagos docuit vetba Latina Getas.
Sed satis est uti, Sueones : nil poscite majus,
   credidit hoc vobis terra Batava caput.

## AD PETRUM SCRIVERIUM.

E1_104 Vitam quae faciant beatiorem
cantando tuus ille Martialis,
tu multo melius doces agendo,
Scriveri, redivive Martialis.
Quicquid Graecia, Roma quicquid olim
fama condidit arbitra probatum

7 uno compositum tenere tecto,
8 nulli pendere temporis tributum,
9 sed pro jure suo diebus uti
10 ignaris domini, nec elocatis ;
11 si quando libuit, vetusta vatum
12 dulci saecula provocare versu,
13 aut priscos patriae novare fastos,
14 norit posteritas ut omnis, auctu
15 quo se protulerit Batava virtus,
16 quae secura sui nihil pavescens
17 jam longe positos tuetur Indos ;
18 aut doctas veterum polire chartas,
19 quas Mars, quas sibi Terminus sacravit,
20 et votis sitientibus petitum,
21 qualem Stella legebat, aut Secundus,
22 talem nunc redhibere Martialem :
23 hae sunt (audiat ipse Martialis)
24 vitam quae faciunt beatiorem.

# EPIGRAMMATUM LIBER II.

## EPIGRAMMATA IN ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS CURRUS VELIFEROS, AD PRINCIPEM MAURITIUM.

E2_01 v.1 Maxime florentis patriae pater, optime vindex,
2 ille novi domitor quem tremit orbis Iber,
3 a Batavis, Princeps, animum demittere curis
4 si vacat, et menti si datur ulla quies ;
5 haec de Velivolo quae sunt mihi condita Curru
6 scripta legas versu supplice charta rogat.
7 Tempus erit, grandi nixus sublime cothurno,
8 oppida sub leges cum tot iisse tuas,
9 cumque triumphatas in Flandro littore gentes,
10 et Turenhoutani Martis opima canam.
11 Interea tenero praelusi carmine : Princeps,
12 da veniam, propero quod placuisse tibi.

E2_02 v.1 Divum posteritas amica, currus
2 versu disce brevi. Deum parentem
3 vexerunt Berecynthiam leones,
4 et sacri socium furoris Attyn.
5 Deducunt aquilae Jovem per auras,
6 delphines pelagi per alta Consum.
7 It Phoebe gemino superba cornu
8 mulis Endymionis ad cubile.

Captivos agitat Diana cervos,
cygnos alma Venus, (sed et columbas)
et cum Pieriis Apollo Nymphis.
At Sol gaudet equis, et ipse Mavors.
Gallus Mercurio dicatus ales.
Angues sub juga vomeris repertor
misit Triptolemus, Proserpinaeque
mater flebilis, Aesculapiusque
primaevusque sator fugacis anni.
Pavum biga trahit Jovis sororem.
Indorum rapuit per arva tigris
vinctum tempora pampino Lyaeum,
et mixtam Satyrum choro procaci
cinctam nebride Maenadum cohortem.
Unum Mauritium tulere Venti.

E2_03

Fassus Iber Batavos domito regnare profundo
inter subactos caeruli fluctus sali,
at terra vincetur, ait, tamen ; illa nec austro,
nec intumenti carbaso patet via.
Falleris, o demens, spe circumventus inani,
et illa nostra est : nil reliquimus tibi.
Si non Lugduni satis es memor, aspice Currum :
genti Batavae, cum placet, tellus mare est.

E2_04

Hactenus immensum Batavi decurrimus aequor,
Oceani nobis invia nulla via est.
Videre Amstelias vada Calpetana carinas,
vidit in opposito littore fuscus Arabs ;
quaque Magellanum cohibent freta fervida Mundum,
quaque procellosas Java colorat aquas ;
quaque ruit Ganges cognato turbidus auro
in mare, et Arctoo qua riget unda gelu ;
Nerea Cattorum soboles consumpsimus omnem.
Jam nihil est ultra : velificatur humus.

E2_05

Cum ratis aequor arat ventos sibi nacta ferentes,
oppositas rapidis motibus urget aquas,
altius insurgunt adversis fluctibus undae,
et liquidi tardant objice montis iter.
Dum rapiunt flatus, vis se sublimior effert
gurgitis : ipsa rati sic facit aura moram.
Viderat hoc Princeps (quid non videt ille, parentis
viscera qui Terrae novit, et astra poli ?)
Viderat, et ventos non ultra passus inertes,
hoc dedit excelsae nobile mentis opus.
Imposuit plaustro vectantem carbasa malum,
an potius navi subdidit ille rotas ?
Velificans currus Batavam praelabitur oram,
nec bene scit quanto pondere pressus eat.
Puppe sedens Princeps medius terramque salumque
despicit, imperii censor utrimque sui ;
et modo visurus spatium post terga relictum,
vertit ad emensas lumina sacra vias ;

(nec tamen immiti littus licet omne procella
personet, adversus verberat ora notus ;
ille quidem poterat vultus metuisse videri,
sed currus ventos effugit ipse suos) ;
et modo vicinas oculos cum flectit in undas,
miratur triplo tardius ire rates.
Scandit aquas navis, currus ruit aere prono,
et merito dicas, hic volat, illa natat.

E2_06

Qui videt in Batavo volitantem littore currum,
refluus aequoreae dum fugit aestus aquae,
qua via vix angusta patet (nam caerula Tethis
hinc premit, hinc alto surgit arena jugo),
attonitus flabris tolli felicibus alnum
cernit, humi tenues vix superesse notas.
Quid foret ingentis si vasta per aequora campi
indefinito calle pateret iter ?
Tunc etiam latus ambiguis stringentibus auris
audeat obliquo carbasus ire noto ;
aut adverso etiam, si navita more Batavum
flectat in alternos lintea versa sinus.
Quis non Mauritii miretur seria, cujus
tanta vel hic unus seria lusus habet ?

E2_07

Qui Scyllam veterem, et Lyciae portenta Chimaerae,
quique Ixionidas, semivirumque bovem,
vera negas, posthac ne sis incredulus, istud
materiae dium cerne biformis opus.
Cerne sinus, axem, capsum, carchesia, clavum,
apsida, paxillum, stamina, rostra, foros ;
flamineque antennam stringi, sufflamine currum :
seque ratim caelo ferre, rotamque solo.

E2_08

Defensor patriae, patrisque vindex,
quem miratur Eos, tremitque Vesper,
pulsum fluctibus aequoris Batavi
littus navigat insolente curru,
et raptis celeri repente velo
sulcat Cattigenum rotis arenas.
Vi mixtus Zephyri tepentis Auster
implet carbaseos sinus ; locorum
vanescunt spatia, essedumque velox
vectum remigio fugacis aurae
semper littoreas novas, novasque
et cernit simul, et relinquit Alpes.
Vidi : quattuor et decem duabus
terrae millia permeantur horis ;
et trabs fluctibus impedita nullis
aequat paene suos citata ventos.
Quicquid praepetibus levatur alis,
quicquid per liquidas movetur undas,
hic Currus superat ; sed una Currum
vincit Mauritiae quadriga Famae.

E2_09

Non ita, cum jacuit major prope littora cetus
hic ubi Cattorum nomina vicus habet,
obstupuit Batavi Neptunius accola Ponti,
quam cum velivolas vidit abire rotas.
"Hancne, ait, hanc Argo posset quae vincere molem,
Palladis est patruo gratificata manus ?"
"Hocne, ait, invecto nuper per littora Curru
rege maris, sensit terra Tridentis onus,
cum pavidi, atque animo metuentes ultima rerum
fundamenta soli vidimus ima quati ?
Fallor ? An aspicio Nymphas, et aplustre sub ipsum
Tritonis rauco murmure concha sonat ?
An Zephyrum Chloris, Borean vocat Orithyia,
et vehitur flabris ille, vel ille suis ?
An magis Hippotades collatis utribus illuc
res sibi Neptunum jussit habere suas ?
Omnia mentitur dubius sibi, verus in uno,
quod dominos Currus credidit esse Deos."

E2_010

Dum ruit hic currus, spectans in littore nuper
nauta suae nimium vela propinqua Pharo,
omnia, ait, periere, ferus tenet omnia Pontus,
quodque fuit spatium littoris, aequor habet.
Falleris : est illic Batavum tutela salusque,
patria quo sospes sospite semper erit.

E2_011

Aurae jugales, et quadriga ventorum,
late patentes quae per aeris campos,
vastumque inane, spiritus vago cursu
servis Batavae gentis imperatori ;
ite, ite ad astra sede fulta sublimi,
collegioque nuntiate caelesti,
Nassaviorum stirpis inclytum germen
vicisse forti Martis impetu terras,
vicisse fluctus, atque jura Neptuni ;
nunc et subacto patris Aeoli regno
dictare leges impotentibus flabris.
Flammata caeli templa, et aureos ignes
restare tantum, namque et illa debentur.
At nos precamur Civitas Batavorum
ne jura Olympi vindicet, nisi sero ;
sed hic moretur, differatque, contentus
cepisse caelum mente, dum vias Phoebi,
Lunaeque motus, siderumque permensus
ausus profundos aemulatur Euclidis,
solertiaeque acumen Archimedeae,
Pelusiosque subjicit sibi fastus.
Hic voce malit plebis, et senatorum
Princeps paterque patriae salutari ;
hic saepe fusis gentis Asturum turmis
victrice lauri vinciat coma frontem,
istoque curru gaudeat triumphali.

E2_012

Saecla forent veterum tanto ditata reperto,
Deucalioneas quis metuisset aquas ?
Claude pice, et multo defende bitumine currum,
jam poterit pariter navis obire vicem,
perque salum, perque ire solum : vada naufraga cessent
si velis tellus curritur, unda rotis.

E2_013

Hic poterat currus mundo praestare theatrum,
hunc mihi si dederis, Sarmata factus ero.

E2_014

Da mihi sidereos in caelo Juppiter ignes,
non ego primus ero, sunt ibi Plaustra duo.
Me quoque in Arctoa ponas regione licebit,
ne mihi pulvereas abluat unda rotas.
Jam didici vitare salum, dum littora curro,
jam didici longum carpere siccus iter.
Sic ego quae fugio numquam Tartessia tangam
flumina, et Hesperio tam procul orbe ferar.
Da mihi, quae Delphin etiam, quae munera Taurus,
quae tulit aurato vellere dives Ovis.
Plus erit Europen, vel Ariona ferre, vel Hellen,
quam Ducis invicti jussa, manumque pati ?
Nec solo vectore (sat est tamen) haec mihi posco
praemia ; sit cursus ista corona mei ;
non mihi praeripiat palmae victricis honorem
aut Aquila, aut Ledae gratus adulter Olor,
aut patrium findens talaribus aethera Perseus,
aut celer invicti Bellerophontis Equus.
Sidus Erichthonio celeres meruere quadrigae.
Hic honor in ventis invidiosus erit ?
Fulget in aetheriis Pagaseia sedibus Argo,
humentes tantum docta secare vias ;
seu das, sive negas, nil Pindo, nil opus Ossa,
me meus in stellas Axis et Aura ferent.

E2_015

Bis tulit iste decem sessores Currus, et octo
scilicet et numerus quod stupeamus habet.
Justius ipsa tamen miremur pondera ; puppi
Mauritius caeli maxima cura sedet.
Mauritio Cimbri germanus, et alter ab ipso
Henricus nostris spes nova rebus adest :
Nassaviique Duces alii, gens cognita bello,
pluraque Teutonica nomina nata domo.
Tu quoque Gallorum certissima Regis imago,
Buzanvale, decus praesidiumque meum ;
et Pictum genus, et Celtarum heroica turba
it comes, et Batavae nobilitatis honos.
Testis adest captivus Iber, cui Cantabra circum
littora, et Hesperii paruit unda freti.
Nec minimum hoc inter Batavae spectacula terrae
legati referant, quod tibi, Caesar, habent.
Nam quid ego aurigas referam, clavique magistros,

quique regunt curae credita vela suae ?
Quod nisi nostra loqui post nomina tanta vererer,
vectorum Grotius pars quotacumque fui.

E2_016

Regius Arragonum sanguis, quem Bructera tellus
horruit, et Rheni prima bicornis aqua,
captus in hostili traheris, Mendoza, triumpho,
quam subito fastus detumuere tui !
Te tenet Aeolius carcer, te littore nostro
velifero in curru mobilis aura rapit ;
qualem Pleumosium si tunc habuisset arena,
victorem poteras anticipasse fuga.

E2_017

Unus erat nuper volitans sine compare Currus,
nunc tota classis navigat.

E2_018

Phoebe quid attonitus nos aspicis ? Aspice vero :
hoc curru poteras accelerare diem.

DE INVENTORE.

E2_019

Ventivolam Tiphys deduxit in aequora navim ;
Juppiter in stellas aethereamque domum.
In terrestre solum virtus Stevinia : nam nec
Tiphy tuum fuerat, nec Jovis istud opus.

DE IMAGINE.

E2_020

Alter in antiquo Cattorum littore Currus,
alter in hac tabula visitur, arte pares.
Illum, qui numeros et rerum pondera novit,
qui fluxum aequorea comperit unus aquae,
et motus terrae varios, Stevinius auctor
jussit arenosae credere vela viae.
Egregius veri simulator Geynius istum
spectandum magnis regibus aere dedit.
Jam puto decepti venient ad suppara venti :
hoc scio, per terras non minus iste volat.

DE EADEM.

E2_021

Artifici formata manu spumantia Nerei
caerula, et obliquis aequora torta vadis,
crispatasque vides undas, ubi gurgite vasto,
marmoreisque sali fluctibus acta sonat.
Subdola sollicitae diffundunt retia cymbae,
et secat immensum picta phaselus iter.
Exspectant dominum captivi in littore pisces,
invitaque maris praeda novella gulam.
Delicias Batavum, nondum miracula cernis :

hactenus est oculis indubitata fides.
Intercepta volant celeri vectabula vento,
et rapidis tangi littora summa rotis
orbita persuadet ; palantes colligit auras,
et per inane vetat flabra perire sinus.
Propter anhelantes sudantibus undique membris
turgida nequicquam vela sequuntur equi.
Deficit ipsa canum venatica turba, negatque
fessa graves aestus posse sitimque pati.
Spectantes animo pendent procul, et sua vertunt
si semel a Curru lumina, Currus abest.
Omnia quae doctis imitatus in aere figuris
conspicuus caeli Geynius arte dedit.
Quid valeant voces ? Eadem videt omnia Lector,
et timet haec eadem credere ; Musa, tace.

DE ICHNOGRAPHIA CURRUS.

E2_022 Icarios hospes noli trepidare volatus :
praescripto poteris Daedalus esse modo.

## EPIGRAMMATA DE REBUS GESTIS DUCTU PRINCIPIS MAURITII. TETRASTICHA.

CLASSIS HISPANICA, DEPULSA ANNO M D LXXXVIII.

E2_023 Quae metus orbis erat, vectores sparsa per orbem
disjicit, et pictos classis Ibera Deos.
Naufragium Tellus divisit, et Ignis et Unda.
Uno non poterat tanta perire modo.

BERGA AD ZOMAM OBSIDIONE LIBERATA.

E2_024 Sperabas nostrae tibi propugnacula Bergae :
proditus hoc pretium proditionis habes.
Desine quas etiam Batavi jam novimus artes,
aut si quos falles, Itale, falle tuos.

BREDA VICTA.

E2_025 Aspicis Iliacam (quid enim discriminis) arcem.
Nonne vides ? Laxat claustra virosque Sinon.
Prima Neoptolemi fuit haec victoria nostri,
Pelide major mox erit ille suo.

EADEM.

E2_026
Hollandos non immerito mirabitur hospes
ad Vulcani usum caespite posse frui.
Dic mihi jam quanto melius mirabitur idem,
perficere Hollandos caespite Martis opus ?

EADEM.

E2_027
Arx Bredae munita satis ; sed causa tenenti,
quae munimentis fortior una, deest.
Quid juvat excubiis non recte parta tueri ?
Pro justis dominis excubat ipse Deus.

EADEM.

E2_028
Falleris hanc duci qui credis ab hoste carinam :
fata ratim nobis semper amica trahunt.
Illa subit, mediaeque minans illabitur Arci :
scilicet haec hosti cymba Charontis erit.

EADEM.

E2_029
Tu quae saepe alias improvida capta fuisti,
nunc quoque sic domino reddita Breda tuo es.
Res cessit semel ista tibi feliciter ; at tu
disce tuis etiam cautior esse bonis.

ZUTPHANIA CAPTA.

E2_030
Accessit titulis etiam Zutphania nostris,
non nisi Mauritio Principe digna capi.
Spe nihil est citius, tamen haec Victoria vicit :
obsedisse grave est credere, victor erat.

DAVENTRIA CAPTA.

E2_031
Tu quoque militibus superata Daventria nostris
subtrahis Hesperio libera colla jugo.
Nil tibi profuerunt duplicatis moenia muris.
Mentior ? An victae profuit esse tibi ?

PRAELIUM AD CNODSENBURGUM.

E2_032
Duplicis Hesperiae populus dedisce furorem :
incipe jam Batavis Mauritioque mori.
Quid facies, contra non stabunt agmina campis,
si nostra salvus non potes esse fuga ?

### HULSTA CAPTA.

E2_033 Non sine victoris vinci quae clade putatur,
Hulsta tamen minimo victa labore tibi est.
Maxima res, Princeps : quamvis urbs capta fuisset
scilicet, ut rursum posset ab hoste capi.

### NEOMAGUM CAPTUM.

E2_034 Quantumvis tot saecla tibi, Neomage, putentur,
una tot est saeclis laetior illa dies,
qua tu Nassavios auxisti capta triumphos.
Quin potius nunc es libera, capta prius.

### STENOVICUM CAPTUM.

E2_035 Obsidio, Princeps, Stenovici (audacia tanta
est animi) clauso, vulnus ab hoste capis.
Cum Mavorte tibi facit hoc commune vetustas ;
sed laesum victis parcere posse, tuum est.

### COVORDIA CAPTA.

E2_036 Mauritio major non crevit gloria, quam cum
victa prius nulli victa Covorda fuit.
Quippe nec huicce duci similis locus obtigit umquam,
passus erat similem nec locus ille ducem.

### GERTRUDISBERGA CAPTA.

E2_037 Ingenio munita loci, virtute, Philippe,
desperata tibi Gertrudeberga capi,
empta fuit nummis, nobis virtute recepta.
Et nummos et plus scis periisse tibi.

### COVORDIA OBSIDIO LIBERATA.

E2_038 Mauritius victam levat obsidione Covordam,
robur id est socii, quod prius hostis erat.
Materies nostris poteritne deesse triumphis,
laurea si ex uno bina petita loco est ?

### GRONINGA CAPTA.

E2_039 Tempore quod multo vinci Fortuna Groningam
noluit, hoc Princeps, gratificata tibi est.
Scilicet hoc ipso, quod tot per saecula nulli
cesserat, annorum fenore crevit honos.

## SUPPLICIUM DE PARRICIDA SUMTUM.

E2_040 Vendere Mauritii sacrum caput ausus Ibero
Hesperius pretium triste Pothinus habet.
Sic pereant, quotquot nolunt te vivere, Princeps.
Quam bene tot constet mortibus una salus !

## GADES EXPUGNATAE.

E2_041 Occidui census praedata Britannia Phoebi
et Gaditanas nauta Batavus opes,
rostra refert patriae Tyrio ditata triumpho.
Non aliter vinci Punica regna solent.

## ITINERA INDICANA.

E2_042 Sidera sub pedibus positum quae pingitis axem,
haec procul Arctoo classis ab axe venit.
Libera gens, nomen Batavi, spes sola laborque,
unum ne dominum norit uterque polus.

## NAVIGATIO MARIS CRONII.

E2_043 Hic inter terraeque nives glaciemque profundi
Parrhasis ignotas educat ursa feras.
En solem Batavi post terga reliquimus ipsum :
hic quo nos unda venimus, unda petit.

## AD TURNHOUTAM FELICITER PUGNATUM.

E2_044 Hactenus invicta satis est pugnasse dolabra,
debetur nobis major ab hoste cruor.
Qui Martem prae pace petit, damnabitur illo
Judice. Nos facient proelia nulla reos.

## BERCA AD RHENUM CAPTA.

E2_045 Berca sequi neutras partes juraverat, atqui
Hesperias partes Berca secuta fuit.
Quas agitas fortuna vices ? Felicius unum
restitit ; has partes Berca coacta sequi.

## MURSIA CAPTA.

E2_046 Mursia Mauritii cessura valentibus armis
praecipiti Rhenum currere vidit aqua.
Rhenus ait : "Mosae jam nuntius ibo triumphi ;
mox quoque communi sub ditione fluam."

GROLLA CAPTA.

E2_047 Grolla quid ostentas praecinctam moenibus urbem,
et foveis ? Nobis, non tibi, fortis eris :
aut quia Libertas sociis te vindicat armis,
jam simul et nobis, et tibi fortis erit.

BREFORDIA CAPTA.

E2_048 Dum licet oblatae Brefordia foedera pacis
suscipe, res urget, suscipe tempus abit.
Ah, quae vos vestri tenuit fiducia ? Quantum
fortibus, ah, vobis esse, nec esse, nocet ?

OLDENZALIA CAPTA.

E2_049 Antiqui Salii generis primordia nostri,
(nam Francos etiam nos numeramus avos)
suscipite imperium sobolis : si credimus, Alba
cum Romana fuit, libera visa sibi est.

LINGA CAPTA.

E2_050 Linga quid exspectas ? Cernisne ut Pricipis armis
submittat famula cornua Rhenus aqua ?
Cede cito, captis jam ter tribus urbibus, una
digna tuo fies meta laboris hero.

CETUS IN LITTORE EXPOSITUS.

E2_051 Exsul aquae longo porrectus littore cetus
spectandum Cattis corpus inane jacet.
Tu quoque quae nostris inhias gens Baetica regnis,
non fert Oceanus monstra Batavus, abi.

BOMMELA DEFENSA.

E2_052 Insula quam Vahalis, quam Mosa faventibus undis
circuit, Hispano vota laborque fuit.
Vota, sed et sumptus, operamque et tempus, et urbem
perdidit. Ecquid adhuc ? Se quoque perdat Iber.

CANARIA INSULA EXPUGNATA.

E2_053 Fortunata vocor Maurorum proxima terrae
in Vespertinis insula dives aquis.
Fortunata mihi tu verius insula Rheni,
fortunae spoliis insula laeta meae.

## WACHTENDONCKA CAPTA.

E2_054 Wachtendoncka tuos hiberno frigore muros
   Nassaviae subito perdomuere manus.
Felices nimium quibus omnis militat annus,
   permittit sterili bruma nec esse sibi.

## MUNIMENTUM ANDREANUM CAPTUM.

E2_055 Miles, ait Princeps, castri cui tradita cura est,
   hoc tu, ne cogar cogere, trade mihi.
Istud ab hoste mihi castrum, tibi debita merces :
   si capis, istud et hanc tu dabis et capies.

## AD NEOPORTAM PRAELIO FELICI CERTATUM.

E2_056 Aequata virtute diu trepidavit Enyo,
   hic ubi nunc Flandri littoris ora rubet.
Commendare suum voluit victoria donum :
   Mauritio casu vincere, non satis est.

## NAVIS PRAETORIA APUD ANTWERPIAM CAPTA.

E2_057 Lintribus a nostris capitur Praetoria puppis ;
   velivolo vehitur carcere victa cohors.
Ipse pater Scaldis favit tam fortibus ausis,
   et strepitum remi dissimulavit aqua.

## BERCA RECEPTA.

E2_058 Abstulerat Bercam sociatis foedere Belgis
   ardoris gemini perniciosa lues.
Rhene pater, gaude. Magni Ducis hoc fuit hosti
   dextera, quod nobis pestis et ignis erant.

## OSTENDA FORTITER DEFENSA.

E2_059 Qui Batavum numeras partos tot ab hoste triumphos,
   Ostendam ponas hac quoque parte rogo.
Cladibus immensis et sumptibus et tribus annis,
   hoc non lucrari ; perdere, non capere est.

## GRAVIA CAPTA.

E2_060 Gravia jam nobis petitur, Mendosa ; videsne ?
   Hoc tanto cinctus milite, nempe vides ?
Cur ? Nisi quod vetus est, urbes jam tradere ; pugna
   sed plusquam satis est succubuisse semel.

## CLUSA CAPTA.

E2_061
Vulnere cum nullo vallum potuisset et incus
multa manus, Clusam tradidit una fames.
Cur non Lugdunum potuit prius ? Altera res est :
esurit haec dominis, esurit illa sibi.

## AD CALPEN NAVALI PRAELIO FELICITER PUGNATUM.

E2_062
Clausit Ibere tuas Calpe quae naufraga poenas,
te doceat pacem, sed sine fraude pati.
Parce tibi posthac, Batavos neu vincere cogas ;
cernis ut ipse regat, quae dedit, arma Deus.

## ALIA. DE EXPEDITIONE IN FLANDRIAM.

E2_063
Flandria, si nondum periisti tota, nec idem
qui domuit vires pectora fregit Iber,
heu famulaturos saltem miserare nepotes.
Quid causae dubitas ipsa favere tuae ?
Militat invictis tibi tota Batavia castris ;
et Valachrus sociam trans mare mittit opem.
Haec amissa tibi Libertas obtulit arma ;
nequicquam : quaerunt, proh dolor, arma manum.
At tibi servitium civili sanguine constat,
atque emitur magno nil nisi regna pati.
Perpetuum posthac tellus ingrata valeto,
digna vel hoc ipso, vel graviore jugo.

## CLADES ANTE PRAELIUM FLANDRICUM ACCEPTAE.

E2_064
Thermopylas inter regem comitata ruentem
Persarum victrix, dum cadis ipsa, cohors ;
Calphurnique manus, quae vincere fessa laboras
haeredem patriam mortis habere tuae,
et Cariovaldae veteri spectata Cherusco
funera, (nam Batavos justius ista loqui) :
En socios laudis, quorum pereuntia nuper
corpora Baeticolis opposuere moram.
Quamquam aliis vindicta datur, pelagusque cruentum
caedibus, et signis dispoliatus Iber,
plus tamen his actum : reliquis victoria praesens
traditus ; his pretio sanguinis empta fuit.

## QUAE PRAELIUM FLANDRICUM ANTECESSERUNT.

E2_065
Tempus adest pugnae, poscunt sibi proelia dextras,
utraque pars alacri tendit ad arma manu.
Solvere Mauritius jubet omnes littore naves,
exitio nobis ne foret ista salus.
"Claudimur hic utrimque malis, ait, hoste, marique.
Aequor enim hinc, illinc aequore pejor Iber.

Aut bibet Hesperium gladii gravis ira cruorem,
aut vos letiferas ore bibetis aquas."
O quam certa fuit victoria, Principe tali,
per quem spes certae non fuit ulla fugae.

## DE PRAELIO FLANDRICO.

E2_066
Nassavii manes et magni Principis umbra,
suscipite Hesperii sanguinis inferias.
Si neque jamdudum Neomagi ad moenia caesa,
nec prope Turnoutum corpora sufficiunt,
sint satis haec quae nunc Neoporta cadavera vidit.
Pro geminis unum fama loquatur opus.
Hactenus in numero vicoria constitit ; at nunc
vix numero poterunt, qui cecidere capi.
Unius insontis quam multo fenore caedem
persolvit vindex Mauritiana manus ?
Ecquem non habuit populum pro teste triumphus
Principis ? In speculis Belgia tota fuit.
Hic Gallo Germanus adest, junctusque Britanno
perfidiae exemplum Scotus Ibere tuae.
Vox diversa sonat ; sed vox est militis una,
sit mihi dux similis semper, et iste diu.

## DE EODEM NUMERALE.

E2_067
Vincitur Albertus Quintilis sole secundo ;
Mauritius vincit, belligerante Deo.

## SPOLIA EX PRAELIO ORDINIBUS OFFERUNTUR.

E2_068
Qui vobis didicit sperare, timere, magistris,
doctrinae haec, proceres, praemia mittit Iber.

## SYMBOLICUM.

E2_069
Aurea Libertas uno commissa maniplo
astringit nodis Belgia pila suis ;
dumque Aquila Austriadum curvis divellere tentat
unguibus, indomitus vindicat iste Leo.
Rex avium dicare licet, pugnare Leoni
non poteris. Si vis salvus abire, vola.

## DE INDUCIIS.

E2_070
Armorum pacisque potens, sed pacis amator
magne Deus, solum quem pia vota colunt,
quando ita nos meriti, spes ut sit adempta vel armis
vincere, vel certa posse quiete frui,
et tua justitiae bonitas permixta severae
ambiguis hinc spem temperat, inde metum ;

non tamen interea tua fas benefacta sileri,
foederibus partes cum coiere duae.
Si non arma simul, simul omnes ponere curas,
oblitoque diu vivere more datur ;
sed non oppositis horrebunt littora signis,
nec face percurret rura tremendus eques ;
castra nec ad portas, in portis altera castra
et capti frangent et capientis opes.
Quodque nefas dudum, pacem laudare licebit,
atque odiis aliquem ponere velle modum.
Ne tamen insidiis marcentia corda paterent,
bella cupit metui ceu reditura Deus.
Convenit, o, nobis haec quam bene regula, quae nos
esse jubet cautos, et vetat esse feros.

## EROTOPAEGNIA CATULLIANA.

### DEDICATIO.

E2_071

Nuper cura gravis, sed nunc mihi summa voluptas,
quam vera possum dicere voce meam,
aspice quos pellecta tuae dulcedine formae
pertulerit motus saucia mens animi,
carmina nequicquam spero dum posse mederi
pectoris aegroti sollicitudinibus
quas tu, pulchra, tuo sedasti lumine sola
detergens omnem cordis amaritiem.
Ergo nauta velut longinquis sospes ab oris
aequora devotas intulit in tabulas,
Neptuno quas solvit et Inoo Melicertae,
quique alii saevis fluctibus imperitant,
sic ego, te postquam nostri, formosa, misertum est,
hanc tibi do exacti temporis effigiem.
Dicat ut in nostris suspirans versibus olim
eodem tacta animum vulnere posteritas,
felix ille tamen qui milia multa laborum
in dominae dulci deposuit gremio.

### ACUS.

Aurea, sed quovis, acus, o pretiosior auro,
de dominae pulchro rapta capillitio,
quod tibi formosos non est distinguere crines,
fulgere et celso vertice conspicuam,
ne nimium luge : nam non tu furis avari
praeda, nec hostiles te rapuere manus,
sed miser indomitae quaerens solacia flammae
hinc, ubi se amisit, te sibi cepit amans.
Risit adhaec certe festivus furta Cupido,
et dixit telis nil opus esse suis.
Fertur enim raptor spolio spoliatus ab ipso,

et tantum aspecta cuspide vulnus habet.

DESPERATIO.

Non amo, non possum, qua spes est posse potiri,
quamque amo, spes nulla est, hac miser ut potiar.
Alma Venus, quin huc ubi spes est mittis amorem,
aut facis ut sperem, quam meus optat amor ?
Dura negas ? Quid nunc faciam, quid non, mihi quando
nec sperare illic, hic nec amare licet ?
Optio difficilis. Tamen huc descendere certum est.
Adsit amor sine spe ; spes sine amore, vale.

SPECULUM.

Hoc speculum toto quo nullum est pulchrius orbe,
sed tunc, cum tua te monstrat imago tibi,
te pone intuitus video quid nescio tale,
quale rosae flagrant, quale micant violae.
At simul accedens propius mox totus inhaesi,
nil praeter pallorem invenio et maciem.
Tum mihi, quid facies, inquam, misera omnia tecum
qui fers, et veniens omnia pulcha fugas ?

LACHRIMA.

Felices lacrimae longis solacia flammis,
sola relicta mae gaudia tristitiae,
felices equidem, si tam vos quae facit illa
diligeret, quam qui perpetuo patior.
Sed nunc, cum duros silices emolliat unda,
illa meis contra fletibus obriguit.
Vos tamen o ne me miserum, lacrimae, linquatis,
quin faciles maesto semper adeste mihi,
donec deficiat vultus, dominaeque superbae
ante oculos damnatam effleat hanc animam.

OCULI.

Maesta refert quoties oculos mihi mentis imago
crudelesque tuos, heu miserosque meos,
miror quod tam saeva mei patiuntur ab illis,
quos magis ipse meis semper amavi oculis.
Aut si tantum odium est, iram quin exseris omnem,
et moribundam aciem luce tua obtenebras ?
Sed quamvis invisa premas haec lumina nocte,
non tamen effugies quin ego te videam :
Namque animus nisi se nil cernens, te tamen unam
quaeret, et impressam in corde suo inveniet.

SALVE.

Sic mea tu sis salva, cui licet, ut mihi dulce est
quod salvere jubes me, mea cara salus :
sed qui sim salvus, quem tunc cum tute salutas
perdis, et heu modo non funditus exanimas ?

Dixisses, pereas, poteram parere jubenti :
nunc isto salve nescio quid faciam.
An non sat similem tibi te fore, saeva, putasti,
vivere quem non vis, si paterere mori ?

INVIDIA.

Est quidam, nec enim scio quid velit, hoc scio tantum,
nos dominae, nobis invidet aut dominam.
Non ego me ulcisci diris crudelibus opto ;
hoc cupio tantum, quod precor, esse ratum :
sic amet, ut nullus vir, femina nulla sit, illi
qui dominum, aut illum quae invideat dominae.

SOMNIA.

Somnia sollicitae pars securissima vitae,
quae sensi toties esse miserta mei,
si licet et fas est et tutum vera fateri
plus vobis, ipsi debeo quam dominae.
Nam dominam per vos video facilemque bonamque,
et qualem speret vincere fidus amor.
Sed talem ipsa negat se, quin irascitur ista,
qualiacumque ex se gaudia quod capio.
Invida, quid nostrae possunt tibi demere noctes,
cum liceat saevae non minus esse tibi ?
At foret in terris nil me felicius uno,
si quod dormire est hoc vigilare foret.

PAPILLAE.

O quas frustra oculis sperem vidisse papillae,
aut leviter tenera tangere posse manu,
sed radiis quas acta videt penetrabilibus mens,
et meus invita tangit amor domina,
credo ego vos duras, cum nil sit durius illa,
et niveas, cum sit vel nive frigidior.
Nec miror : nam quicquid erat sub pectore flammae,
transfusum in nostro pectore nunc habitat.

ABSENTIA.

Hei mihi non liceat cum te formosa tueri,
oraque mellitis jungere suaviolis,
mens tamen haec ad te tam longis millibus ardet
sepositam et terras ire per et maria.
Hic tua mens numquam nostrae fuit obvia menti,
quin etiam retro, cum venit ista, fugit :
et tamen infausto nimium certamine gaudet,
quam magis illa fugit, tam magis ista sequi.
Atque utinam prendat : fugitivam vincla tenebunt,
quae loca non dirimant, nec terat ulla dies.

SILENTIUM.

Si nihil hoc caelum nisi sola silentia laudant,

112 atque ipsum taciti cernimus ire diem ;
113 si nondum summus dolor est, solacia vocis
114 qui capit, et partem cordis in ore gerit ;
115 sive ego te aspicio, qua nil perfectius exstat,
116 seu me, quo miserum nil magis esse potest,
117 cum tua laus, mea sors, superent genus omne loquendi,
118 da veniam, quaeso, lux mea, quod taceo.

## AD JOHAN. REIGERSBERGIUM, EX VERO NAVIGANTEM.

E2_072 v.1 Cum modo me ignoto praeceps audacia ponto,
2 te tua in exitium ferret, amice, fides,
3 et tot penderent mediis de fluctibus anni,
4 de fusis Lachesi jam dubitante suis ;
5 credibile est, pro me teneras mea vota Camenas
6 at pro te cunctos excubuisse Deos ;
7 dum promissa tibi certantis munera caeli
8 subdita tam duris casibus esse vident.
9 At pelago Venus orta : "Metu desistite, dixit,
10 non erit in nostris tam grave crimen aquis :
11 nam tantum a nobis utriusque in pectore flammae est,
12 exstingui ut toto non queat Oceano."

## SUBURBANUM REIGERSBERGIORUM.

E2_073 v.1 Sedes amoena nobilis suburbani,
2 qua nil Valacris delicatius campis
3 purae nitentes Veriae videns turres,
4 laboriosis otium, quies fessis,
5 labor quietis, grata cura securis :
6 et tu beatis additus tumor campis
7 antiqua moles, cujus ad jugum currens
8 Zelandus olim compulit gregem pastor,
9 ubi aestuans Neptunus et sui plenus
10 terris negarat litus et modum ponto,
11 sed nunc virore laeta, floribus turgens,
12 fecunda ramis undique ambitu toto
13 pelagus secantes sicca despicis puppes :
14 et vos odorae veris areae cultu
15 et non avaro silva dives autumno,
16 virete semper, vireat et domus tota,
17 domus illa vestra domina, vestra regnatrix,
18 et vos, pios, et illa sentiat flatus
19 faventis aurae, floreatque vobiscum
20 fecunda honorum, nec minus ferax prolis,
21 in multa crescat saecla populus haeredum,
22 semperque dignos afferat loco mores,
23 dignosque vultus, transeatque cum fundo
24 avita virtus atque avita fortuna.

# HUGONIS GROTII INSTRUMENTUM DOMESTICUM :
# SIVE EPIGRAMMATA AD IMITATIONEM APOPHORETON MARTIALIS.

## AD LECTOREM.

E2_074

Fine libellorum qui disticha vatis Iberi
   perlegis, hos similes, si vacat, adde jocos.
Haec Batavus lusit semper diversus Ibero
   instrumenta suae non pretiosa domus.
Roma vetus sileat. Quid enim peregrina moramur,
   priscaque ? Nostra magis hos hodierna juvant.
Et si cur tituli mutarim nomina quaeris,
   rara dat Hollandus munera, rara capit.
Mos bonus et simplex alternis pascere damnis
   imperat. Haec etiam qui legis, empta legis.

## ARMA.

Arma domus Batavae numeratur prima supellex.
   Haec et Civilis regia tota fuit.

## ENSIS.

Otia qui gemino pendens agit ensis in unco,
   ivit in Albani militis ille latus.

## GLADIUS TOLETANUS.

Unda Tagi non est uno celebranda metallo :
   utilis in cives est ibi lamna suos.

## BOMBARDA.

Certius haec tangunt inimicas tela cohortes.
   Fallor ? An hinc didicit Juppiter esse Tonans ?

## EMPORETICA.

Retia quae fuerant, sunt foeda segestria chartae.
   Si deerunt, merces pagina nostra tegat.

## CHARTA.

Nunc aurata comas, et sicco pumice levis
   charta, senis scabri fascia nuper eram.

## MEMORIALE.

Pagina succurret madido gypsata cerebro.
   Haec oblivisci non nisi jussa potest.

## PLUTEUS.

Scrinia perlatas servant mihi mille salutes :
   si modico possem vendere, dives eram.

PENNA.

Cum penna moriens in nos sua carmina cygnus
transtulit : hac nobis remige fama volet.

PYXIS ARENARIA.

Pulveris aurati pluvia fit sparsa papyrus :
rescribet Danae sollicitata, Veni.

ABACUS LAPIDEUS.

Haec, quae mensa polos, (hominumne audacia tanta est)
secta Promethea rupe tabella venit.

MEMBRANA TENUISSIMA.

Da chartas aliis : tenerae cum scribis amicae,
caesonis vituli filia dicat, Ave.

CALCULI ARGENTEI.

Calcule fac nostris faveas argentee lucris :
si deerunt nummi, tu quoque nummus eris.

LIBELLA.

Vile potest carae tibi detrimenta monetae
exploratricis prodere lancis onus.

ATRAMENTARIUM EBOREUM.

Illo candidius nihil est, nihil atrius illis :
pocula pennarum dens elephantis habet.

LIBER RATIONUM.

Conturbare potes, vincet si pagina pejor,
teque liber nomen dixerit esse malum.

SACCUS LITIGATORIUS.

Sacculus hic litis discordia continet arma :
alter causidicis gratior aera dabit.

CALENDARIUM.

Annua charta notat tota cum prole calendas :
non aliam malles saepius esse tuam.

COCHLEAR ARENARIUM E CONCHA.

Baccis orba parens hic se quoque mersat arenis,
candida quae rubro littore concha venit.

### CERA.

Rus alat aerias parvo sub rege volucres :
est aliquid praeter mella, quod inde petas.

### CRUMENA DISCRIMINATA.

Cum mihi multiplici varietur imagine nummus,
totque geram loculos, una crumena vocor.

### CHARTA LUSORIA.

Numina Pythagoraea, chlamys, stola, purpura, mixta :
sexcentos lusus haec tibi charta dabit.

### LIGNUM ALATUM.

Alterno volucris suspenditur aere buxus,
deprensusque novo verbere nescit humum.

### NOVENI SCRUPULI.

Disjectos perimi te scrupea belle decebunt,
fortius et junctis viribus esse nihil.

### TERNI SCRUPULI.

Nolim Paeonidas semper pubnare Camenis :
Sirenum certet cum grege trina Charis.

### LUDUS DUODENORUM SCRUPULORUM.

Scrupea bella vides, Danaumque et Memnonis arma :
vicisse est, hostes transiliisse suos.

### FRITILLUM.

Calculus ad numeros migrare jubetur eburnos,
ingenio casum temperat iste labor.

### LUDUS ANSERIS.

Sorte quidem varia, metam tamen imus ad unam :
votaque mors rumpit : quis putet esse jocum ?

### TURBO CUM SCUTICA. AD PUERUM.

Quid meruit turbo, quem tu vibice fatigas ?
Haec natibus fuerant debita flagra tuis.

### TURBO.

Vertitur orbe brevi puerili missus habena,
et moritur turbo deficiente manu.

TROCHUS.

Hic est ille celer totam qui circuit urbem
immiti domino terga premente Trochus.

PILA PALMARIA.

Deponi sub fune jubes nil credis. En optas
fallere ? Me certe ludis, habesque pilam.

RETICULUM.

Reticulis opus est : per compita ludat inermis
quam nec dura queant laedere rastra manus.

PILA CLAVARIA.

Clava pilam feriat, palum pila : non ibi semper
sufficiunt vires, sit nisi docta manus.

SOLEAE FERRATAE.

Quae Batavum miratur hiems, sola ferrea cernis.
His per aquas nec aquas ire nec ire licet.

PERSPECILLA.

Vix spectas vitreis jam luscitiosus ocellis.
Haec si perdideris lumina, caecus eris.

SPECULUM.

Quid juvat ad speculum raros ornare capillos ?
Hoc ipsum, quod habes, consule : dicet anum.

CLEPSAMMIDIUM.

Ne penetrante gelu glacies tua tempora perdat,
certius hibernum dicet arena diem.

EXCITATORIUM

Amplexus dominae quamvis tibi somnia donent,
haec tibi clamabunt pondera, surge toro.

PYXIS NAUTICA.

Plura tibi pyxis ventorum nomina dicet,
quam solet Ausonius mensis habere dies.

SCIATHERAS.

Dant medios soles contractae gnomonis umbrae :
at mihi, pro tali gnomone, venter erit.

SPHAERA COELESTIS.

Sidereos vultus, cantataque vatibus astra,
non opus est caelo quaerere ; quaere domi.

SPHAERA TERRESTRIS.

Terrarum, magnique vides compendia ponti,
suntque simul Boreas, Hesperus, Auster, Eos.

CAMPANA.

Sacra, sepulturas, motus, incendia, leges,
cum jubeor ; Batavum proelia sponte loquor.

HOROLOGIUM.

Nuntius horarum, dimensi temporis index,
aemulor alterno pondere Solis iter.

TINTINNABULUM.

Janua Campano, qua panditur, incubat aeri.
Improbe fur, quid agis ? Proditor astat. Abi.

SISTRA.

Vagitus cohibet crepitacula : comprimit infans
ora, nec irato longius esse vacat.

PERIAMMA.

Sibilat, et dentes, et linguam purgat, et aures ;
et tamen est unum, (quis mihi credat ? ) ebur.

VERU AUTOMATUM.

Patrocle, ne magnum sudes prope tostus ad ignem ;
verset Achilleum machina jussa veru.

PISCIUM EXCIPULUS.

Tollitur ichthyagra piscis, defunditur unda.
Hic tibi centeni luminis Argus erit.

ARMA MENSARIA.

Fuscinulis armate manus, et vindice cultro ;
sic decet in rigidas cominus ire feras.

CALCEATORIUM.

Aptanda pedibus ne quid de pelle queraris,
haec tibi dant Cauchi cornua dura boves.

FOLLIS.

Si cupies animas nascentibus addere flabris,
incendent pigrum frigora nostra focum.

FORCEPS.

Qui populis bifidi monstravit forcipis usum
primus inexperto laeserat igne manus.

CULCITA.

Mollis olorina satiatur culcita pluma :
ut jaceant homines nempe jacetis aves.

BATILLUS LECTARIUS.

Igne, sed incluso, si quid tua fila biberunt,
decoque, ne lectus sudet, et ipse tremas.

SUPPEDANEUM NOCTURNUM.

Qui gelidas metuis tenebras noctemque Decembrem,
solamen thalami caelibis istud habe.

FOCULUS MENSARIUS.

Juscula ne comedas, et lanci creditus humor
congelet, in mensa praestat habere focum.

SUPPEDANEUM DIURNUM.

Lignea sub pedibus diffundunt scamna vaporem :
si male servaris, et focus ignis erit.

CAMISIA. CHEMISE.

Rustica nescivit lini bona prima vetustas,
quae potuit duro vellere membra tegi.

MUCCINNIUM.

Utere linteolo, ne guttis ebria tecum
judicio stillae barba cadentis agat.

COLLARE LINEUM.

Caerula triticeus pingit collaria succus.
Non alimur tantum farre, sed induimur.

INDEX LINTEARIUS.

Lintea ne redeat minor insolata supellex,
huic tabulae credes nil periisse tibi.

PRAELUM LINTARIUM.

Usurpata terunt inhonori lintea sulci :
tu preme, ne rugis mappa laboret anus.

DIGITUS FERREUS.

Ferrea femineos sinuant collaribus orbes
tela : puto Marti debuit ista Venus.

LARVA PUELLARIS.

Pulver sordidior vultus, cute nigrior Inda
quid timet ? An larvae non satis ipsa fuit ?

VENTRALE.

Diffusam late tunicam qui sustinet orbis,
saepe puellarum condere furta solet.

FASCIA CRURALIS.

Vix fuit undantes caligas compescere tanti.
Vulnerat extremum fascia dura femur.

CUCULLUS.

Cappa vocor : per me ventos, imbresque, geluque
effugis ; et Monachos nil sapuisse putas ?

UMBELLA.

Invideant niveos soli quae tegmina vultus,
accipe candoris parca puella tui.

MANTELLUM IMPLUVIATUM.

Si sapis, Hagana quoties spatiabere silva,
eludes pluvias impluviatus aquas.

PALLIUM MULIEBRE.

Arte pari positis vestitu femina rugis,
cui caput, atque nates quae tegat, una toga est.

TORQUES FOEMINA.

Prostituit summas torques demissa papillas :
ut videas aurum, cernis et illud ebur.

ARMILLA PUELLARIS.

Si mihi, brachiolum claudit quae parva sinistrum,
armillam dederis, annulus esse potest.

### ANNULUS EX ALCIS UNGULA.

Pars quondam metuenda ferae, nunc annule sacram
corporis humani pellis ab arce luem.

### ANNULUS PRONUBUS PURUS.

Pignus habes fidei nullis violabile gemmis.
Hoc illud vetus est Aurea simplicitas.

### QUASILLUS.

Nere negant Batavae, discunt sarcire puellae :
lanea sordescunt, linea sola placent.

### DIGITALE.

Argentum, digito sed candidiore, puella,
indue, ne retro te quoque pungat acus.

### PULVILLUS RETICULARIUS.

Composito radiis quod servat acicula filo,
nobile virgineae nascitur artis opus.

### HOPLOTHECA FOEMINEA.

Lemniades pereant, et Amazones : arma puellis,
arma quibus vincant ista pharetra dabit.

### PIGMENTARIUM.

Cum surgis thalamo, positosque resumis amictus,
induis et formam : capsaque pulchra tua est.

### ACICULARIS PULVILLUS.

Spinula ne pereat (levis est jactura, frequensque)
figere qui curat, nil agit, an satagit ?

### FLABELLUM.

Quamquam dissimulas, non aestu, virgo, calescis :
sed juvenis, ventum qui facit, ille facit.

### PILA SMEGMATICA.

Plebeios furfur digitos, vel smegmata mundent.
Poscit amygdalinas aulica dextra pilas.

### PILA AROMATICA.

Mollities tenero cum se tua prodat odore,
illane, quam quaeris, te putet esse virum ?

### PECTEN PLUMBEUS.

Pecteris, et plumbo. Plumbo ? Cur pecteris ergo ?
Non haec res juvenem, non decet illa senem.

### FICTILE SINENSE.

Extremis veniunt quae porcellanea Sinis
ante tui proavi tempora nata vides.

### VITREA POCULA.

Materies fragilis commendat pocula vitrum.
Est aliquid, fieri tam cito posse nihil.

### POCULUM EX CONCHA.

Ardeat Hesperio Neptunia concha Lyaeo.
Nam sitit ipse suas nemo Batavus aquas.

### CALIX AUREUS.

Non fortuita dabis pretioso vina metallo :
sed pro Mauritii digna salute bibi.

### CALIX CUM ALEA.

Qui post te sitiat, dum tu bibis, alea quaerit,
haeredemque sui nuncupat ipse calix.

### POCULA CEREVISIARIA.

His bibitur cyathis pretiosior unda Lyaeo.
Quis putet ? Annonam nostra flagellat aqua.

### FRIGIDARIUM.

Nec mihi sit Rheno Bacchum miscere, nec imbres :
hanc amo, quae gelidum dat mihi lympha merum.

### CANDELA.

Pervigiles oculos tenuis candela lacessit.
Tam miserum est, pinguem non habuisse bovem.

### EMUNCTOR CANDELARIUS.

Cum depasta fuis carpes ellychnia flammis,
discutiens fumos, officiosus eris.

### LATERNA CUM OBICE.

Est quae te reddat toties laterna tenebris,
deprendi quoties nocte silente times.

### FUNALIAE.

Cum non sint Duilli, quo tot funalia nobis ?
An debellato praemia tanta mero ?

### FUNIALIA PICATA.

I procul, et piceum longe fuge femina fumum :
non tanti est, artes prodat ut ille tuas.

### CEREUS VINCATUS.

Vinca solet nobis geniales cingere ceras.
Hanc, quod virgineam dicimus, oro quid est ?

### FACES.

Ebrius ire cupis, metuisque reliquere mensas :
sic tibi contanti quot periere faces ?

### LUPATUM.

En tibi quadrupedum quod manditur ore lupatum.
Hoc domitore ferum dedidicistis equi.

### CHIROTHECA ODORATA.

Vaginam manibus cupio de pelle canina,
sed quae Sibethae stercora fellis olet.